BREVE

SUMMI PONTIFICIS PII VI

AD E. S. R. ECCLES. CARDINALEM

DE LA ROCHEFOUCAULT,

ILLUSTRISS. ARCHIEPIS. AQUI-SEXTANUM,

Cæterosque Prælatos Conventûs nationalis Gallicani,

De constitutione civili Cleri Gallicani.

DILECTI filii nostri, ac venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem. Quod aliquantùm differre ob ipsius rei gravitatem, nimiamque item úrgentium negotiorum copiam coacti fuimus, nunc responsum damus, dilecti filii nostri, ac venerabiles fratres, litteris die 10ª octobris ad nos datis, quibus multorum è vestris spectabilibus collegis nomen subscriptum

Digitized by Google

est. Eæ renovârunt in nobis immensum, nullaque consolatione levandum dolorem illum, quem jam perceperamus, ex quo tempore perlatum ad nos erat istum nationis vestræ conventum ad publicæ œconomiæ rationes ordinandas congregatum, adeo in suis decretis progressum esse, ut catholicam religionem impeteret; à conspirantibus enim suorum plerisque jam in ipsum irruebatur sanctuarium.

Ab initio judicabamus servandum nobis esse cum hujusmodi inconsultis hominibus silentium, ne ipsi veritatis voce magis irritati ad multò deteriora adhuc proruerent. Nostrum hoc silentium tuebamur S. Gregorii Magni auctoritate, qui (1) « *Discretè*, inquit, *vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat* ». Tamen verba nostra ad Deum convertimus, ac publicas statim indiximus peragendas preces, ut novis istis legum latoribus eum impetraremus animum, quo vellent ab hujus sæculi philosophiæ prescriptis recedere, atque ad religionis nostræ consilia regredi, iisque insistere. In quo Susannæ exemplum secuti sumus,

---

(1) Regul. Pastor, tom. II, oper. edit. Maurin, pag. 54.

Digitized by Google

æ, ut exponit S. Ambroſius (1). *Plus egit cendo, quam ſi eſſet loquuta: tacendo enim apud mines, loquuta eſt Deo, conſcientia loqueba-r, ubi vox non odiebàtur, nec quærebat pro hominum judicium, quæ habebat Domini teſti-onium.*

Neque porro prætermiſimus venerabiles fra-es noſtros S. R. E. cardinales in conſiſtorium nvocare die 29 Martii proxime elapſi anni, ſque participes eorum facere quæ iſthic geri ntra catholicam religionem jam cœperant, mmunicatâque cum ipſis noſtri doloris acerbi-te, illos itidem ad noſtrarum lacrymarum, ac bſecrationum ſocietatem excitare.

Dum in hoc eſſemus intenti, repentè adfertur d nos, prodiiſſe circa menſis Julii dimidium gallicæ nationis conventu (cujus nomine ſolam rtem numero prævalentem ſemper intellige-us) prodiiſſe inquimus, decretum quod in ti-lo conſtitutionem cleri civilem prætexens, re-rà ad ſacratiora dogmata, atque ad certiſſimam clesiæ diſciplinam perturbandam, evertendam-ue deveniebat, hujus primæ ſedis, epiſcopo-

(1) Lib. I, de offic. cap. 3, num. 9, tom. 2, oper. it. Maurin, pag. 4.

rum, sacerdotum, regularium utriusque sexûs, totiusque catholicæ communionis jura abolebat, sacros supprimebat ritus, ecclesiasticos reditus, et fundos arripiebat, eas demum inferebat ærumnas, quæ credi non possent, nisi ipsâ comprobarentur experentiâ. Istis ad nos relatis, non potuimus certè non abhorrescere ad ejus decreti lectionem, idemque accidit nobis, quod olim Magno Gregorio prædecessori nostro evenit, qui cum codicem quemdam ab episcopo Constantinopolitano recognoscendum accepisset, ac priores partes percurrisset, manifesta pravitatis venena testatus est in eo se reperisse (1): hinc animo nostro in summas ægritudines conjecto, ecce sub finem Augusti mensis, nunciatur nobis carissimi in Christo Filii nostri Ludovici christianissimi Regis postulatio, quâ summo apud nos instabat studio, ut autoritate nostrâ approbaremus, saltem, *per provisionis modum*, quinque ab illo conventu decretos articulos, suâque regiâ sanctione jam confirmatos. Cum autem illos regulis canonicis adversari videremus, leniùs tamen ipsi regi respondendum judicavimus, nos articulos illos examini subjecturos vigenti cardinalium

---

(1) Epist. 66, lib. 6, tom. 2, pag. 242.

congregationi; quorum singulorum sententias etiam scripto expressas deinceps cognoscere nos ipsi, atque expendere pro rei gravitate satagebamus. Interim per nostras familiares litteras ipsum hortati sumus regem, ut universos regni episcopos induceret ad sibi candidè aperiendos sensus suos, nobisque accuratas eorum consiliorum rationes proponendas, in quas ipsi convenirent, eaque nobis patefacienda, quæ in tantâ locorum distantiâ nos laterent, ne ni ullam conscientiæ nostræ labem possemus incurrere. Nondum quidem ad nos indè pervenit ulla vestra hujusmodi gerendarum rerum explicatio; pervenerunt tamen aliquorum episcoporum typis evulgatæ pastorales litteræ, sermones et monita evangelico spiritu plena, sed ea singulariter à suis autoribus perscripta, neque rationem, quid à nobis gerendum videretur, indicantia, quam hæc tantâ rerum necessitas, summumque, in quo versamini, discrimen exposceret.

Verùm ad nos non ità pridem pervenit manuscripta expositio vestra super principiis constitutionis cleri, quam et typis postea accepimus, in cujus exordio perleguntur extracta nationalis conventûs plura decreta, eaque multis conjuncta animadversionibus super eorumdem et invaliditate, et pravitate. Eodem pariter tempore red-

ditæ nobis sunt recentes ipsius regis litteræ, in quibus approbationem à nobis postulat ad aliquod tempus valituram septem articulorum nationalis conventûs, cùm primis illis quinque ad nos Augusto mense transmissis penè consentientium, unàque significat, se in angustias redigi pro interponendâ sanctione novo executoriali decreto die 27 Novembris edito, cujus jussu episcopi, vicarii, parochi, seminariorum præfecti, aliique ecclesiasticis fungentes officiis coram generali municipalitatum consilio intrà præscriptum tempus juratam præstent constitutioni servandæ fidem, et ni faciant, gravissimis sint pœnis puniendi. Verùm, quemadmodùm jam anteà declaravimus nequaquam nos velle nostrum expromere super hisce articulis judicium, nisi priùs à majori saltem episcoporum parte perspicue distincteque nobis relatum esset, quid ipsi sentirent, id nunc etiam constanter repetimus, et confirmamus.

Dum rex ipse postulat à nobis inter cœtera, ut hortatione nostrâ metropolitanos, et episcopos inducamus ad consentiendum ecclesiarum metropolitanarum, et episcopatuum divisioni, et suppressioni necnon ut provisionali saltem modo indulgeamus, quò scilicet formæ canonicæ ab ecclesiâ in novorum episcopatum erec-

tionibus hactenùs servatæ, nunc ex metropolitanorum, episcoporumque auctoritate fiant, et præsentatis ad vacantes curas juxta novam electionum methodum iidem illi institutionem præbeant, dummodo morum, doctrinæque eligendorum ratio non obstet. Ex hac profectò regis delatâ postulatione facilè perspicitur, ab eo ipso nimirùm agnosci exquirendos esse in hujusmodi casibus episcoporum sensus, æquumque planè esse, ne nos quidquam, nisi ipsis auditis, statuamus. Vestra igitur consilia, vestras singulariter expositas consiliorum rationes à vobis vel universis, vel plerisque subscriptas exoptamus, atque agnoscimus, quo tanquam gravissimo monumento innixi, consultationes nostras regere, moderarique possimus, ut ita vobis regnoque christianissimo salutare, ac congruum à nobis judicium proferatur. Dum in hac de vobis expectatione sumus, interim illa quæ in vestris exponuntur litteris, sublevant nos aliquâ ex parte in peragendo examine omnium nationalis constitutionis articulorum.

Si primò perlegantur assertiones concilii Senonensis inchoati anno 1527, contra Lutheranorum hæreses, illud profecto quod basis est, et fundamentum decreti nationalis de quo agitur, expers esse ab hæresis notâ videri non potest.

Sic enim se explicavit concilium (1) post hos autem ignaros homines, » surrexit Marsilius » Patavinus, cujus pestilens liber, quod defensorium pacis nuncupatur, in christiani populi » perniciem procurantibus Lutheranis, nuper » excussus est. Is hostiliter ecclesiam insectatus » et terrenis principibus impiè applaudens, om- » nem prælatis adimit exteriorem jurisdictionem, » eâ dumtaxat exceptâ, quam secularis largitus » fuerit magistratus. Omnes etiam sacerdotes, » sive simplex sacerdos fuerit sive episcopus, » Archiepiscopus, aut etiam Papa, æqualis ex « Christi institutione asseruit esse auctoritatis, » quodque alius plus alio autoritate præstet, » id ex gratuita laïci principis concessione vult » provenire, quod pro suą voluntate possit revo- » care. Verùm ex sacris litteris coercitus est » *delirantis* hujus *hæretici* immanis furor, quibus » palàm ostenditur non ex principum arbitrio » dependere ecclesiasticam potestatem; sed ex » jure divino, quo ecclesiæ conceditur leges » ad salutem condere fidelium, et in rebelles » legitimâ censurâ animadvertere; iisdem quo- » que litteris apertè monstratur ecclesiæ potes-

(1) In collect. Labbe, tom. 19, pag. 1154, edit. Venet. coleti, quâ semper utemur.

» tatem longe aliâ quavis laicâ potestate, non » modò superiorem esse, sed et digniorem. » Cæterùm hic Marsilius et cæteri prænomi- » nati *hæretici* adversùs ecclesiam impiè debac- » chati, certatim ejus aliquâ ex parte nituntur » diminuere auctoritatem.

Præterea vobis etiam in mentem revocamus fel. record. Benedicti XIV. consonam sententiam, qui cùm in suis ad Primatem, Archiepiscopos, et episcopos regni Poloniæ die 5 Martii 1752, datis litteris ageret de opusculo polonico idiomate impresso, gallicè verò prius edito sub titulo « Principes sur l'essence, la distinction » et les limites des deux puissances spirituelle » et temporelle, ouvrage posthume du Pere La- » borde de l'oratoire » in quo autor ecclesiasticum ministerium ità sæculari dominationi subjiciebat, ut ad hanc spectare pronunciaret de externâ, ac sensibili ecclesiæ gubernatione cognoscere, ac judicare. « Pravum, inquit, ac per- » niciosum systema jampridem ab apostolicâ » sede reprobatum ac pro *hæretico* expressè » damnatum, fallacibus ratiunculis, fucatis, at- » què ad religionem compositis verbis, con- » tortisque scripturarum, ac patrum testimoniis » impudens scriptor obtrudit, quo simplicibus » et minus cautis faciliùs imponat » Igitur

libellum proscripsit, notasque apposuit, *captiosi, falsi*, *impii*, atque *hæretici*, ejusque interdixit, ac prohibuit lectionem, reteutionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus, etiam specificâ et inviduâ mentione dignis sub pœnâ excommunicationis ipso facto, absque aliâ declaratione incurrendâ, à quâ nemo à quoquam præterquam Pontifico romano pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat. (1)

Et sane quæ unquam pertinere potest ad laïcos jurindictio super ecclesiæ rebus, ob quam ecclesiastici ipsi subjici eorum decretis teneantur? Nemini porrò, qui catholicus sit, ignotum esse potest Jesum Christum in suæ ecclesiæ institutione, dedisse Apostolis; eorumque successoribus potestatem, nulli alii protestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres universi voce concordi agnoverunt cumHosio et S.Athanasio monentibus « (2) ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu » nobis hisce rebus præcepta mandes, sed à » nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium » tradidit, nobis quæ sunt ecclesiastica concre-

(1) Bullar. Benedicti XIV, tom. 4, constitut. 44, edit. Rom.

(2) S. Athanas. in histor. Arianor. ad monacos, tom. I, oper. pag. 371, edit. Maurin.

» didit, ac quemadmodùm qui tibi subripit, » dei ordinanti repugat, ita metue ne, si ad » te ecclesiastica pertrahas, majoris criminis » reus fias. » Ac propterea S. Joaunes Chrisostomus, ut magis quam id verum esse comprobaret, Ozæ factum attelit (1). Qui arcam alioquin » subvertendam fulsit, è vestigio mortuus » est; eoquod ministeriun ipsi non congruens, » usurpavit; ergo ne sabbatrum violatum, et solus » arcæ tuituræ contactus ad tantam indignationem » Deum provocavit, ut qui hæc ausi fuerant, » ne minimum quidem veniæ sint consequuti? » Hic verò qui adoranda et ineffabilia dog» mata corrumpit, excusationem habiturus est, » et veniam conquetur? Non potest hoc fieri, » non potest inquam. » Id ipsum decrevêre sacrosancta concilia, consentientibus in idem vestris regibus usque ad regnantis avum Ludovicum XV. qui die 10 Augusti anni 1731, se agnoscere declaravit. Comme son premier devoir d'em» pêcher qu'à l'occasion des disputes, on ne » mette en question les droits sacrés d'une » puissance, qui a reçu de Dieu seul le droit » de décider les questions de doctrine sur la foi,

(1) Commentar. in cap. 1. Epist. ad Galat. num. 6, tom. 10, oper. edit. Maurin. pag 668.

» ou sur la regle des mœurs ; de faire des canons
» ou des regles de discipline pour la conduite des
» ministres de l'église, et des fideles dans l'ordre
» de la religion, d'établir ses ministres, ou les
» destituer conformément aux mêmes regles:
» et de se faire obéir en imposant aux fidéles,
» suivant l'ordre canonique, non-seulement des
» pénitences salutaires, mais de véritables peines
» spirituelles, par les jugemens, ou par les
» censures que les premiers pasteurs ont droit
» de prononcer »...

Et tamen contrà tam certam in ecclesiâ sententiam, conventus ille nationalis potestatem sibi ecclesiæ arrogavit dùm tot ac tanta constitueret, quæ cum dogmati, tum ecclesiasticæ disciplinæ adversantur, et dum episcopos, et ecclesiasticos omnes jurejurando ad sui decreti executionem adstringeret. Verùm hoc minime mirum videri debet iis qui ex ipsâ conventûs constitutione facilè intelligunt nil aliud àb illâ spectari, atque agi, quam ut aboleretur catholica religio, et cum eadem debita regibus obedientia. Eo quippe consilio decernitur, in jure positum esse, ut homo in societate constitutus, omnimodâ gaudeat libertate, ut turbari scilicet circa religionem non debeat, in ejusque arbitrio sit de ipsius religionis argumento, quidquid velit, opinari,

loqui, scribere, ac typis etiam evulgare. Quæ sane monstra ab illâ hominum inter se æqualitate, naturæque libertate derivari, ac emanare declaravit. Sed quid insanius excogitari potest, quam talem æqualitatem libertatemque inter omnes constituere; ut nihil rationi tribuatur, quâ præcipua humanum genus à naturâ præditum est, atque à cæteris animalibus distinguitur. Cum hominem creasset Deus, eumque in paradiso voluptatis posuisset, nonne eodem tempore ipsi mortis pœnam indixit, si de ligno scientiæ boni et mali comedisset; nonne statim hoc primo præcepto ejus adstrinxit libertatem? Nonne deinceps cum per inobedientiam se reum effecisset, plura præcepta per Moysen adjunxit? Et licet ipsum *reliquisset in manu consilii sui*, ut bene seu male mereri posset, nihilominus adjecit *mandata & præcepta, ut si voluerit servare, conservassent eum* (1).

Ubi est igitur illa cogitandi, agendique libertas, quam conventûs decreta tribuunt homini in societate constituto, tanquam ipsius naturæ jus immutabile? Oportebit igitur ex eorum decretorum sententiâ juri contradicere creatoris, per quem existimus, et cujus liberalitati quid-

---

[1] Ecclesiastic. cap. 15, vers. 15 et 16.

quid sumus, atque habemus, acceptum referre debemus. Prætereà quis jam ignoret creatos esse homines, ut non solùm singuli sibi, sed et aliis vivant, ac prosint hominibus? In hac enim naturæ infirmitate mutuo indigent ad sui conservationem subsidio; atque idcircò à Deo et rationem, et loquendi facultatem tenuerunt, ut et opem petere, et petentibus præstare scirent, ac possent; proinde ab ipsa naturæ inductione in societatem communionemque coierunt. Jam cum hominis sit ita suâ ratione uti, ne supremum autorem suum, non tantum agnoscere, verùm et colere, admirari, ad eum omnia referre debeat, cumque ipsum subjici jam ab initio majoribus suis necesse fuerit, ut ab ipsis regatur, atque instruatur, vitamque suam ad rationis, humanitatis, religionisque normam instituere valeat; certe ab unius ejusque ortu irritam constat, atque inanem esse jactatam illam inter homines æqualitatem, ac libertatem. *Necessitate subditi estote* (1). Itaque ut homines in civilem societatem coalescere possent, gubernationis forma constitui debuit, per quam jura illa libertatis adscripta sunt sub leges supre-

(1) Apost. Epist. ad Roman. cap. 13, vers. 15.

mamque regnantium potestatem, ex quo consequitur, quod S. Augustinus docet in hæc verba »: Generale quippe pactum est societatis hu-
» manæ obedire regibus suis » (1). Quapropter hæc potestas non tam à sociali contractu, quam ab ipso Deo recti justique auctore repetenda est. Quod quidem confirmavit Apostolus in superius laudatâ epitolâ (2) « Omnis anima potestatibus
» sublimioribus subdita sit, non est enim potes-
» tas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordi-
» natæ sunt : itaque qui resistit potestati, Dei
» ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi
» sibi damnationem acquirunt ».

Atque hic referre libet canonem concilii Turonensis II, habiti anno 567 (3), cujus verbis anathemate plectitur, non solùm qui decretis apostolicæ Sedis contraire præsumit; sed et « quod
» pejus est qui contra sententiam quam vas elec-
» tionis Paulus apostolus Spiritu Sancto minis-
» trante promulgavit; aliud conscribere, ullâ
» ratione præsumat; cùm dicat ipse per Spiri-
» tum sanctum, qui prædicaverit præter id quod
» prædicavi, anathema sit ».

---

(1) Lib. 3, confession., cap. 8, tom. 1, oper. edit. Maurin pag. 94.

(2) Vers. 1 & 2.

(3) Canon 20, in collect. Labbe, tom. 6, pag. 64.

Ast ad refutandum absurdissimum ejus libertatis commentum, satis hoc etiam esse potest, si dicamus hujusmodi nempe sententiam fuisse *Valdensium* et *Beguardorum* à Clemente V. Sacro approbante œcumenico concilio Viennensi (1) damnatorum, quam deinde secuti sunt *Wiclephistæ* et postremo *Lutherus* illis suis verbis : *liberi sumus ab omnibus* (2) ; verumtamen quæ de obedientiâ legitimis potestatibus debita eseruimus, nolumus eo accipi sensu, ut à nobis dicta fuerint animo oppugnandi novas civiles leges, quibus Rex ipse præstare potuit assensum, utpote ad illius profanum regimen pertinentes, ac si per nos eo consilio allata sint, ut omnia ad pristinum civilem statum redintegrentur juxta quorumdam calumniatorum evulgatas interpretationes, ad conflandam religioni invidiam : cùm reverâ nos, vosque ipsi id unum quæramus, atque urgeamus, ut sacra jura ecclesiæ, et apostolicæ Sedis illæsa serventur. In quem sane finem nunc aliâ ratione nomen illud *libertatis* expendamus, discrimenque inspiciamus, quod intercedit inter homines qui extra gremium ecclesiæ

(1) Cap. 3 in Clementin. tit. de hæreticis.

(2) Ut refert auctor appendic. ad S. Thomam prima secunda, question. 96, art. 5, edit. Neapol. 1763.

semper

semper fuerunt, quales sunt infideles, et Judæi, atque inter illos qui se ecclesiæ ipsi per susceptum baptismi sacramentum subjecerunt. Primi etenim constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent; contra verò alteri sunt cogendi. Id quidem discrimen solidissimus, prout solet, rationibus exponit S. Thomas Aquinas (1), ac multis ante sæculis Tertullianus exposuit in libro Scorpiaci adversus Gnosticos (2), et paucis ante annis Benedictus XIV in opere de servorum Dei beatificatione, et beatorum canonizatione (3); atque ut magis adhuc hujus argumenti pateat ratio, videndæ sunt duæ celeberrimæ, ac pluries typis editæ S. Augustini epistolæ, una ad Vincentium Cartennensem (4) altera ad Bonifacium comitem (5), per quas non veteres solùm, sed et recentes hæretici plane refelluntur. Quare manifestò perspicitur æqualitatem, et libertatem à conventu isto jactatam in illud, ut jam probavimus, recidere, ut catholica subventatur religio, cui propterea *dominantis* titulum in regno, quo potita semper est, detrectavit.

(1) Secunda secundæ quest. 10, art. 8.

(2) Cap, 2, num. 15.

(3) Lib. 3, cap. 17, num. 13.

(4) Epist. 93, tom. 2, oper. pag. 237, edit. Maurin.

(5) Epist. 185, tom. eod. pag. 652.

Progredientibus nunc nobis ad alios nationalis conventus errores demonstrandos, statim occurret Pontificii Primatûs, ejusque jurisdictionis abolitio, cum decretum sit, ut : « Le nouvel évê-
» que ne pourra s'adresser au pape pour en ob-
» tenir aucune confirmation, mais il lui écrira
» comme au chef visible de l'église universelle,
» en témoignage de l'uunité de foi, et de la
» communion qu'il doit entretenir avec lui ». Nova præscribitur jurisjurandi formula, in qua romani pontificis nomen suppressum est. Imo cum electus ex juratâ fide teneatur decretis nationalibus, in quibus inhibitum est, ne à pontifice electionis confirmatio postuletur, eo ipso omnis ejusdem pontificis potestas prorsus excluditur; atque hoc modo abscinduntur à fonte rivi, rami ab arbore, populus à primo sacerdote.

Hic vobiscum usurpare nobis liceat, et exprimere illatas dignitati, autoritatique nostræ injurias, vocibus, quibus S. Gregorius Magnus (1), indoluit apud Constantinam Augustam, de Joanne, qui nova præsumere cœperat, seque per superbiam, universalem episcopum appella-

(1) Epist. 21, lib. 5, pag. 751, tom. 2, oper. edit. Maurin.

bat, rogavitque ne assensum præberet præfatæ Joannis elationi: « si hac in causa nequaquam » me pietas vestra despiciat, quia et si peccata » Gregorii (*nunc Pii*) tanta sunt, ut pati talia » debeat, Petri tamen apostoli peccata nulla » sunt, ne vestris temporibus pati ista merea- » tur. Unde iterùm atque iterùm per omni- » potentem Dominum rogo, ut sicut parentes » priores vestri principes, S. Petri apostoli gra- » tiam quæsierunt: ita vos quoque et hanc vobis » quærere et conservare curetis, et propter » peccata nostra, qui ei indignè servimus, ejus » apud vos honor nullatenus minuatur, qui et » modò vobis adjutor esse in omnibus, et post- » modùm vestra valeat peccata dimittere ».

Quod divus Gregorius ab autoritate Constantinæ postulavit ad decus pontificiæ dignitatis; nos à vobis similiter exquirimus, ne in isto vastissimo regno primatûs honor et jura aboleantur, respicianturque merita Petri, cujus nos hæredes sumus, etsi indigni, quique debet in personâ humilitatis nostræ honorari. Quod si alienæ potestatis vi impediti exequi non valebitis, per religionem, et constantiam vestram complere debetis, fortiter vos ab injuncto jurejurando abstinentes: quippe minus detrahebat Gregorio usurpata à Joanne denominatio, quam nostro

deroget juri nationale decretum. Quomodò enim retentam, conservatamque dici poterit cum visibili Ecclesiæ capite communionem, eidem tantummodò electionem nunciando, eodemque tempore ipsius primatûs autoritatem etiam per sacramenti religionem abnuendo? Et tamen debetur ipsi tanquam capiti à suis membris solemnis canonicæ obedientiæ promisso, ad retinendam in ecclesiâ unitatem, atque ad evitanda mystici hujus corporis à Christo Domino constituti schismata. Quâ in re, quod ad Ecclesias galliarum pertinet videre est apud Marten. De antiq. Eccl. Rit. (1), qualis ibidem jurandi formula viguerit, in quâ constat jam ab antiquis temporibus gallicanos episcopos in suâ ordinatione ad fidei professionem addidisse expressam suæ erga romanum pontificem obedientiæ clausulam.

Atque hìc non ignoramus profecto, neque dissimulandum ducimus, quid constitutionis nationalis patroni contra hæc proferunt ex epistolâ S. Hormisdæ ad Epiphianium patriarcham Cons-

---

(1) Tom. 2, lib. 1, cap. 2, art. 11, ord. 10, et apud Sirmond. in appendic. ad tom. 2, Concilior. Galliæ, de antiquis Episcop. promotion. formul. 13, pag. 656.

tantinopolitanum, seu potiùs quantopere illâ ipsâ abutantur; quoniam ex eadem constat in more fuisse, ut ab episcopis electis legati cum litteris, et fidei professione mitterentur ad romanum pontificem; à quo postulabant admitti in conjunctionem, et in communicationem cum apostolicâ sede, et hunc in modum suæ electionis approbationem obtinerent. Quod cùm præstare omisisset Epiphanius, ad ipsum Hormisda scribens » mirati, inquit, admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum, quia reparata ecclesiarum, Deo annuente, concordia, plenum » fraternitatis, pacis id flagitabat officium, præsertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. » Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos » ad apostolicam sedem inter ipsa tui pontificatûs initia destinasse, ut quem tibi debeamus » affectum, bene cognosceres, et vetustæ consuetudinis formam ritè compleres (1).

Primatûs adversarii ex verbo *decuerat* illam non nisi urbanitatis, et, ut ita dicamus, exuberantiæ legationem fuisse contendunt; at ex toto epistolæ contextu, ex illis nempe verbis *reparata*

(1) Epist. 71, in collect. concil. Labbe, tom. 1, pag. 665.

ecclesiarum ..... concordia ... id flagitabat officium, quod .... regularum observantia viudicabat ... ut ... vetustæ consuetudinis formam rite compleres. Quis jam contendat ob illud *decuerat* verbum, pontificiâ moderatione prolatum, in electi debito non fuisse ad pontificem pro consequendâ approbatione recurrere? Sed prorsus elidit oppositam interpretationem alia pontificia epistola quæ est S. Leonis IX. ad Petrum episcopum Antiochenum, qui cum S. pontifici suam denuntiasset ad episcopatum electionem responsum accepit (1) *valde necessarium studium, fuisse* annuntiare et exponere secutam ejus electionem...., et quod *maxime oportebat* tibi, et » ecclesiæ cui t.mporaliter præsides, non distulisti efficere ... mea verò humilitas in culmine apostolici throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, » tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem pro» motionem libens approbat, collaudat, et con» firmat, et communem dominum instantes » exorat, ut quod humano ore jàm diceris, » ante ejus oculos existas ». Epistola hæc quæ non ex privati doctoris interpretatione sed ex judicio prodiit pontificis sanctitate et doctrinâ

(1) Epist. 5. in collect. Labbe, tom. 11, pag. 1334.

insignis, nullum relinquit dubium super sensu, in quo nos exposuimus epistolam S. Hormisdæ, ut meritò inter illustriora monumenta accensenda sit pro debitâ ab episcopis petendâ, et reportendâ à romano pontifice confirmatione, quam Tridentini concilii munit auctoritas (1), quamque nos in responsione super nunciaturis vindicandam suscepimus (2), pluresque alii ex vobis egregiis, doctisque scriptis propugnârunt.

At ut iidem adversarii nostri tueantur istius conventûs decreta, ipsa dicunt ad disciplinam pertinere, quæ cum sæpe pro temporum varietate mutata fuerit, nunc itidem mutari potuit. Verùm inter decreta ipsa non solùm disciplinaria, sed et alia non pauca in eversionem puri, immutabilisque dogmatis congeruntur, ut hactenus demonstravimus; ast ut de disciplinâ agamus, quis unquàm est inter catholicos, qui affirmet disciplinam ecclesiasticam immutari à laicis posse? cùm ipse etiam Petrus de Marca fateatur quod (3) de ritibus, ceremoniis, sacramentis, « cleri censurâ conditionibus, et dis- » ciplinâ, canones à conciliis et decreta à

(1) Sess. 33, Can. 7, et sess. 24, de reformat. cap. 1.

(2) Cap. 8, sess. 3, § 55 et 56, pag. 211.

(3) De concord. Sacerdot. et Imper. lib. 2. cap. 7, num. 8.

» pontificibus romanis tanquàm de materiâ sibi » subjectâ frequentissimè edantur; et vix ulla » proferri possit constitutio principum quæ hæc » de re lata fuerit ex mero potestatis secularis » imperio. Sequutas quidem hac in parte leges » publicas videmus, sed non antecessisse ».

Deinde cum anno 1560, Facultas Pariensis ad examen adduxisset ea quæ Franciscus Grimauldet advocatus regius retulerat ad conventum, seu status apud Andegavenses collectos; inter multas propositiones ab ipsâ reprobatas sequens etiam N°. 6 reperitur : « Le second » point de la religion est en la police et dis» cipline sacerdotale, sur lequel les rois et princes » chrétiens ont puissance d'icelle, dresser, mettre » en ordre et réformer icelle corrompue ». Hæc propositio est falsa, schismatica, potestatis ecclesiasticæ enervativa, et hæretica, et probationes ad illam sunt impertinentes (1). Præterea certum omnino est disciplinam non posse temere et pro arbitrio variari; si quidem duo prima catholicæ ecclesiæ lumina S. Augustinus (2), et S. Thomas Aquinas (3) perspicuè docent materias

(1) Carol. de Argentre, collec. judicor. tom. 2, oper. Paris. 1728, pag. 291, in fin.

(2) Epist. 54 ad Jan. cap. 5, tom. 2, oper edit. Maurin, pag. 126.

(3) Prima secundæ, quest. 97, art. 2.

ad disciplinam spectantes variandas non esse, nisi ex necessitate, vel magnâ utilitate, quoniam mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat: et non debent mutari (subjicit ipse S. Thomas) « nisi ex aliâ » parte tantum recompensetur communi saluti, » quantum ex istâ parte derogatur ». Romani pontifices tantum abest, ut disciplinam unquàm corrumperent, ut eamdem ex collatâ sibi à Deo auctoritate in edificationem Ecclesiæ, meliorem suavioremque semper redderent, contra quam ab istius conventûs membris effectum esse dolemus, ut ex singulis eorum decretorum articulis cum Ecclesiæ disciplinâ comparatis facilè deprehenditur.

Sed priusquam articulos hosce attingamus præmittendum ducimus quantùm sæpe disciplina cohæreat dogmati, et ad ejus puritatis conservationem influat, necnon quam parum utilitatis attulerint, et quam brevi tempore perdurarint variationes à romanis pontificibus ex indulgentiâ, quamvis rarò, permissæ. Ac profectò sacra concilia pluribus in casibus disciplinæ violatores ab ecclesiæ communione per anathema separârunt. Quandoquidem in concilio Trullano(1) inflicta fuit excommunicationis pœna iis qui suffocatorum animalium sanguinem comederint. « Si quis dein-

(1) Can. 67, in collect. Labbe, tom. 7, pag. 1378.

» ceps animalium sanguinem quovis modo co-
» medere aggrediatur, si sit quidem clericus,
» deponatur, si autem laicus segregetur ». Multis
in locis Tridentina synodus anathemati subjicit
ecclesiasticæ disciplinæ impugnatores. Nam can.
9. sess. 13. de eucharistiâ, infligit pœnam ana-
thematis illi qui « negaverit omnes et singulos
» Christi fideles utriusque sexûs cum ad annos
» discretionis pervenerint, teneri singulis annis,
» saltem in paschate, ad communicandum juxta
» præceptum S. Matris ecclesiæ: in can. 7 sess.
» 22, De sacrificio missæ, supponitur anathe-
» mati qui diceret ceremonias, vestes et ex-
» terna signa, quibus in missarum celebratione
» ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis
» esse magis quam officia pietatis ». In can.
» sess. eadem, item anathemati subjectus est,
qui assereret » ecclesiæ romanæ ritum, quo
» submissa voce pars canonis, et verba con-
» secrationis proferuntur, damnandum esse, aut
» linguâ tantum vulgari missam celebrari de-
» bere ». In can. 4 sess. 24. De sacramento
matrimonii, anathemate plectuntur illi, qui
dicerent » ecclesiam non potuisse constituere
» impedimenta matrimonium dirimentia, vel
» in constituendis errasse ». Il can. 9 sess. et
tit. iisd. Itidem in anathema incurrit, dicens:

» clericos in sacris ordinibus constitutos, vel
» regulares castitatem solemniter professos,
» posse matrimonium contrahere, contractum-
» que validum esse, non obstante lege eccle-
» siasticâ, vel voto, et oppositum nil aliud
» esse quam damnare matrimonium, posseque
» omnes côntrahere matrimonium qui non sen-
» tiunt se castitatis, etiamsi eam voverint,
» habere donum». In can. 11. sess. ead. et tit.
Anathemanizantur pariter qui dicerent » Prohi-
» bitionem solemnitatis nuptiraum certis anni
» temporibus superstitionem esse tyrannicam
» ab ethnicorum superstitione profectam, aut
» benedictiones, et alias ceremonias, quibus
» ecclesia in illis utitur, damnaverint ». In can.
12. ead. sess. et tit. imponitur anathema di-
centibus « causas matrimoniales non spectare
» ad judices ecclesiasticos ». Ab Alexandro VII.
Deinde proscripta fuit die 7 Januarii et 7 Fe-
bruarii 1661. Sub excommunicatione latæ sen-
tentiæ versio missalis romani in linguam galli-
cam, tanquam novitas perpetui ecclesiæ decoris
deformatrix, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ,
seditionis, schismatis, aliorumque plurium ma-
lorum facilè productrix. Ab indictione anathe-
matis contra adversantes pluribus capitibus dis-
ciplinæ, planè assequimur illam ab ecclesiâ habi-

tam fuisse tanquam dogmati connexam, nec debere quandocumque, nec à quocumque variari, sed à solâ ecclesiasticâ potestate, cui constet vel perperam factum fuisse, quod hactenùs servatum est, vel urgere consequendi majoris boni necessitatem.

Nunc ut videamus, remanet, quam nec utiles, nec diuturnæ fuerint variationes quas proficuas futuras sperabatur. Quod facile vobis patebit, si in memoriam revocaveritis exemplum super calicis usu, quem Pius IV. vehementer postulantibus Ferdinando imperatore, et Alberto Bavariæ duce, tandem consedere inductus fuit, nimirum ut aliqui possent episcopi diœceses habentes in Germanicâ sub certis conditionibus ipsum permittere. At cum inde plus mali in ecclesiam quam boni redundasset, S. Potifex Pius V. necessarium duxit in sui pontificatûs exordio hanc concessionem revocare; quod statim præstitit per breves apostolicas litteras, alteras die 8 Junii 1566, datas ad Joannem patriarcham Aquileiensem, alteras item datas postridie ad Carolum archiducem Austriæ; cumque porro Urbanus Passaviensis episcopus idem flagitasset indultum, rescribens S. Pius die 26 Maii 1568 (1).

---

(1) Relat. à Laderch. Annal. Ecclesiast. ad ann. 1568, pag. 60, edit. Rom. 1733.

magnopere ipsum hortatus est « ad retinendum » potius ecclesiæ catholicæ antiquissimun et sanc- » tissimun ritum, quam eum quo hæretici utun- » tur... atque in hâc sententiâ adeo constanter » et fortiter manere debes, ut nullius jacturæ; » aut periculi metu, ex eâ te dimoveri patiare » etiamsi temporalia bona amittenda essent, » etiamsi subeundum esset martirium. Pluris talis » constantiæ præmium æstimare debes, quam » quantasvis opes et temporalia bona. Mar- » tyrum vero adeò non est subterſugiendum » homini verè christiano et catholico, ut sit etiam » expetendum, et in singularis beneficii loco â » Deo accipiendum et felix habendus sit, quicum- » que dignus habitus fuerit qui pro Christo et pro » ejus sanctissimis sacramentis sanguinem effun- » dat ». Hinc meritò S. Leo magnus, scribens episcopis per Campaniam, Picenum, Thusciam, et universas provincias constitutis de aliquibus disciplinæ articulis suam clausit epistolam (1). » Hoc itaque admonitio nostra denunciat, » quod si quis fratrum contra hæc constituta ve- » nire tentaverit, et prohibita, fuerit ausus ad- » mittere, à suo se noverit officio submovendum, » nec communionis nostræ futurum esse con- » sortem, qui socius esse noluit disciplinæ ».

(1) Epist 3, tom. 1, oper. edit. Tyrna. 1767.

Nunc procedentibus ad examen capitum decreti conventûs nationalis, gravissima sese offert suppressio antiquarum metropolium, necnon et nonnulorum episcopatuum, aliorumque ex suis divisio, aliorum de integro erectio. Quâ de re non hic ad criticum examen revocare intendimus illud, quod non sine aliqua dubitatione retulerunt historici super veteri gallicarum provinciarum civili jure administratarum, divisione, ex quâ inferre possemus cum eisdem neque tempore, neque loco ecclesisticas metropoles convenisse; at pro re, de quâ nunc agitur, satis est, si innuamus ex divisione metropolium ad jurisdictionem civilem constitutarum, nequaquam emanare ecclesiastici ministerii spatia, ut ex allata patet à S. Innocentio I. ratione (1), » nam quod sciscitaris utrum divisis imperiali » judicio provinciis, ut duæ metropoles fiunt, » sic duo metropolitani episcopi debeant no- » minari, non ergo visum est ad mobilitatem » necessitatum mundanarum Dei ecclesiam com- » mutari, honoresque aut divisiones perpeti, » quas pro suis causis faciendas duxerit Impe- » rator. Ergo secundùm pristinum provincia-

(1) Epist. 24 ad Alexandrum Autioch. cap. 2, apud Constant. pag. 852.

» rum mortem, metropolitanos episcopos con-
» venit numerari ». Hujusmodi epistolam ex-
praxi Ecclesiæ gallicanæ præclaris illustrat mo-
monumentis Petrus de Marca, è quo sat erit pauca
exscribere verba (1). « Gallicana Ecclesia in
» eandem sententiam synodo Chalcedonensi,
» et Innocentii decreto conspiravit, putavitque
» nefas esse regum imperio episcopatus novos
» institui, etc., quare non est, quod à com-
» muni universalis ecclesiæ sensu recedamus
» fœdâ in principes adulatione, ut contigit
» Marco-Antoino de dominis, qui episcopatum
» institutionem regibus perperam, et contra ipsos
» canones asseruit; cujus sententiam recentiores
» aliqui amplixi sunt. Tota rei istius dispo-
» nendæ ratio ad ecclesiam pertinet, quem ad-
» modum dixi ».

Verùm, inquiunt, à nobis postulatur ut de-
cretam diœcesium divisionem approbemus; at
maturè expendendum est, num à nobis id fieri
debet; obstare si quidem videtur infacta origo,
à quâ ejusmodi hodiernæ divisiones et suppres-
siones derivantur. Præterea animadvertendum
est non agi hic de unâ aut alterâ diocœsi im-

(1) De concord. Sacerdot. et Imper. lib. 2, cap. 9, num. 4 et 7.

mutendâ, sed de omnibus fere amplissimi regni diœcesibus subvertendis, deque tot tamque illustribus ecclesiis è suo loco movendis, cum plures ex illis quæ archiepiscopali honore fulgebant ad episcopalem gradum dejiciantur, in quam novitatem acriter est Innocentius III invictus, ubi partiarcham Anthiochenum his verbis reprehendendum esse putavit, « quod ... novo quo-
» dam mutationis genere parvificasti majorem,
» et magnum quodammodo minorasti, epis-
» copare archiepiscopum, imò potius dearchie-
» piscopare præsumens » (1).

Quæ item rei novitas tanti habita est ab Ivone carnotensi, ut ad illam avertandam necessarium sibi esse duxerit ad paschalem II confugere, eumque his verbis compellare (2) » ut
» statum ecclesiarum, qui quadringentis fermè
» annis duravit, inconcussum manere conce-
» datis, ne hac occasione schisma. quod est
» in Germanico regno adversus sedem apostoli-
» cam, in galliarum regno suscitetis. » Eodem accedit, ut priusquam ad id deveniendum esset,

(1) Epist. 50, pag. 29, num. 1, epistolar. edit. Paris. Baluz. 1682.

(2) Epist. 258, pag. 105, part. 2, oper. edit. Paris. 1647.

interrogare

interrogare epiſcopos de quorum agitur jure, debeamus, ne juſtitiæ violaſſe leges contra ipſos arguamur: quod quantopere S. Innocentius I pontifex deteſtetur, ex ejuſdem perſpicitur ſequentibus verbis (1), » quis enim ferre poſſit » ea quæ ab illis delinquuntur, quos præ cæteris » decebat tranquillitatis & pacis, & concordiæ » eſſe ſtudioſos? Nunc autem præpoſtero more » ſacerdotes innoxii è ſedibus Eccleſiarum ſuarum » exturbantur. Quod quidem primus injuſte » perpeſſus eſt frater & conſacerdos noſter » Joannes epiſcopus veſter, cum nullâ ratione » fuiſſet auditus. Nullum crimen affertur, nec » auditur. Et quodnam eſt hoc perditum con- » ſilium? Ut non ſit, aut quæratur ulla ſpecies » judicii; in locum viventium ſacerdotum alii » ſubſtituuntur, quaſi qui ab hujuſmodi facinore » auſpicati ſunt, aliquid recti aut habere, aut » exegiſſe judicari poſſint. Neque enim talia » unquam à patribus noſtris geſta eſſe comperimus, » ſed potius prohibita, cum nemini li- » centia data ſit in locum viventis alium ordi- » nandi, nam reproba ordinatio honorem ſacer- » dotis auferre non poteſt: Siquidem is epiſcopus » omninò eſſe nequit qui injuſtè ſubſtituitur ».

(1) Epiſt. 7, num. 2 ad clerum et popul. Constantinop. apud Constan. pag. 798.

Poſtremo certiores antè fieri deberemus quid ipſi ſentiant populi qui eò privantur bono, ſuum paſtorem citius commodiùſque adeundi. Sequitur jam alia mutatæ, ſeu potiùs everſæ diſciplinæ novitas, de novâ ſcilicet inducendâ electionem epiſcopalium ratione; quâ nimirum infringitur, ac violatur ſolemnis conventio, ſeu concordatum inter Pontificem Leonem X, & Regem Franciſcum I, initum, ac à generali concilio Lateranenſi V approbatum, in quo mutua promittitur pactorum fides quæ certe jam per ducentos & quinquaginta annos conſtanter viguit, proindeque in regni legem conſtituta eſſe jure cenſetur. In illo ſcilicet concordato convenerat inter partes, ratio conferendi epiſcopatus, prælaturas, monaſteria, & beneficia. Illo igitur nùnc poſthabito, decernitur ab iſto conventu, ut in poſterum epiſcopi eligantur à multitudine quorumcumque diſtrictuum aut municipalitatum. In quo ſanè conventus ille voluiſſe videtur falſas amplecti Lutheri & Calvini opiniones, quas ſequutus deinceps eſt Spalatenſis apoſtata. Aſſerebant iſti juris eſſe divini, ut epiſcopi eligerentur à populo. Quam per facile eſt deprehendere erroneam eſſe ſententiam, ſi veteres memoriâ recenſeamus electiones. Moyſes enim, ut ab ipſo incipiamus, conſtituit in Pontificem ſine ſuffra-

gio, & conſilio multitudinis Aaronem, & poſt eum Eleazarum, & Chriſtus Dominus noſter primum duodecim apoſtolos, deindè ſeptuaginta duos diſcipulos ſine populi elegit interventu, ſanctuſque Paulus Thimotheum Epheſi, Titum inſulæ Cretæ, Dionyſium Areopagitam Corinthi, quem apoſtolus ſui manibus ordinavit (1). Sanctus verò Joannes Policarpum Smirnæ dedit epiſcopum ſine ullo plebis conſenſu (2), ac prope innumerabiles miſſi fuerunt, ad populos abſentes, & infideles qui per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam ſolò apoſtolorum judicio eccleſias ab ipſis fundatas paſtorali officio gubernarent (3). Quæ electionum ratio quam vera ſit, ex ſacro ſanctis etiam comprobatur conciliis, ut à Laodiceno I (4), atque à Conſtantinopolitano IV (5). S. Athanaſius creavit Frumentium epiſcopum Indorum in

(1) Euſeb. hiſt. eccleſiaſtic. lib. 3, cap. 4, num. 15, ibiq. not. 6.

(2) S. Hieronymus, de viris illuſtrib. cap. 17, t. 2, oper. p. 843, edit. Vallars.

(3) Euſeb. citat. cap. 4, num, 5, S. Hieronym. commentar. in cap. 25 Matthaei, tom. 7, oper. p. 207, edit. Vallars.

(4) Can. 13.

(5) Oecumenic. VIII, act. 10, Canon. 12.

concilio ſacerdotum, populo inſcio(1). S. Baſilius elegit in ſuâ ſynodo Euphronium epiſcopum Nicopolitanum abſque ullâ petitione & conſenſu civium, & populi (2). S. Gregorius II ordinavit S. Bonifacium epiſcopum in Germaniâ; nihil de eâ re ſcientibus, cogitantibuſque Germanis. Ipſe Valentinianus Auguſtus, cum ad eum deferretur ab epiſcopis electio epiſcopi Mediolanenſis reſpondit. « Majus eſt viribus meis iſtud negotium, vos verò qui divinâ gratiâ repleti eſtis, » & qui divinum illud numen hauſiſtis, melius » electuri eſtis » (3). Quæ Valentinianus ſenſit, ea magis ſentire, & declarare deberent Gallici diſtrictus,. & amplecti catholici imperantes.

Adverſùs hactenus allata inſurgunt *Lutherus* & *Calvinus* eorumque aſſeclæ, opponentes exemplum S. Petri, qui ſtans in medio fratrum dixit: » Erat autem turba hominum ſimul ferè centum » viginti, oportet ex his viris, qui nobis ſunt » congregati in omni tempore, ut alius eligeretur in locum miniſterii, & apoſtolatûs de quo » prævaricatus eſt Judas ». Sed perperam inſurgunt; nam primo Petrus non reliquit turbæ li-

---

(1) Rufin. lib. 10, hiſtor. cap. 9, sub fin.
(2) Epiſtol.
(3) Theodoret. lib. 4, hiſtor. cap. 7.

bertatem eligendi quemcumque voluiſſet, ſed præſcripſit, & deſignavit unum ex his viris qui ſecum erant congregati. Omnem porro diſſipat exceptionem Chryſoſtomus (1) inquiens, " Quid „ ergo an Petrum ipſum eligere non licebat ? „ Licebat utique ; ſed ne videretur ad gratiam „ facere, abſtinet „. Quod magis roboratur ex aliis Petri ſubinde geſtis legendis in Epiſt. S. Innocentii I ad Decentium epiſcopum Euguinum (2). Poſtquam verò per vim Arianorum, quibus Imperator favebat Conſtantius, exturbari à ſuis ſedibus cœperunt catholici præſules, in eaſque ſedes imitti illorum aſſeclæ, (ut S. Athanaſius deplorat) (3), ipſa temporum coegit neceſſitas, ut in epiſcoporum electionibus populus adeſſet, unde incenderetur ad tuendum in ſuâ ſede epiſcopum quem coràm ſe electum eſſe noviſſet. At non propterea clerus excidit electionis jure, quam conſtat ad ipſum peculiari ſemper jure pertinuiſſe : neque unquam eſt agnitum, veluti modo contenderetur obtrudi, ad ſolum

(1) Homil 3, in act. apostol. tom. 9, oper. edit. Maurin, pag. 25, litt. B.

(2) Epistol. 25 apud Constant. p. 356, num. 2.

(3) Histor. Arianor. ad monac. num. 4, t. 1, oper. pag. 347, edit. Maurin.

populum fuiſſe electionum jura delata. Neque ideo romani pontifices unquam ſuam auctoritatem otioſam quieſcere pertulerunt; nam divus Gregorius magnus delegavit Joannem ſubdiaconum, qui Gennam proficiſceretur ubi plures erant mediolanenſes, ut eorum perſcrutaretur voluntates ſuprà Conſtantio, quœ ſi in ipſius favorem perdurarent, eum in epiſcopum Mediolani tunc à propriis epiſcopis cum pontificiæ *autoritatis aſſenſu* faceret conſecrari (1). Rurſus in epiſtolâ ad diverſos epiſcopos Dalmatiæ (2) præcepit, ex B. Petri principis apoſtolorum auctoritate, ut nulli penitus extra conſenſum, permiſſionemque ſuam in ſalonitanâ civitate manus imponere præſumerent, nec quempiam in civitate ipſâ aliter quam ipſe diſceret, epiſcopum ordinare; & ſi prœceptionem ſuam tranſgredirentur, dominici corporis, & ſanguinis participatione privarentur, & quem ordinaviſſent, non haberetur epiſcopus. Item epiſtolâ ad Petrum epiſcopum hydruntinum (3) eidem mandavit, ut defunctis epiſcopis Brunduſii, Lupiæ & Gallipolis ad illas ſe conferret, & viſitationem perageret, curaretque ut iis præficerentur ſacerdotes tanto miniſterio digni, qui

(1) Epist. 30, lib. 3, pag. 646, edit. Maurin.
(2) Epist. 10, lib. 4, page 689.
(3) Epist. 21, tom. 6, pag 807.

ad Pontificem venirent, ut munus conſecrationis reciperent. Poſtmodum epiſtolâ ad. Mediolanenſes (1) approbat, quod in locum defuncti epiſcopi Conſtantij eligerent *Deus-dedit*, cui, ſi nihil eſſet quod per ſacros canones poſſet obviare, decrevit quod ex ſuâ auctoritate ſolemniter ordinaretur. S. Nicolaus I non deſtitit increpare Lotharium regem, quod ad epiſcopatum viros ſibi ſolum gratos in regno ſuo efferri ſtuderet, adeòque apoſtolicâ auctoritate injunxit ſub divini judicii obteſtatione, ut in Trevirenſi urbe, & in Coloniâ Agrippinæ nullum eligi pateretur, antequam relatum ſuper hoc pontificio eſſet Apoſtolatui (2). Inſuper Innocentius III Sennenſem antiſtitem recenter reprobavit, eoquod ſe ultrò epiſcopali ſolio immiſerit, antequam à romano pontifice ad illud vocaretur, vel in illo firmaretur (3). Similiter quoque dejecit Conrandum epiſcopum à ſede tum Hildeſienſi, tum Wirtzburgenſi, eo quod utramque inconſulto romano pontifice arroganter aſſumpſerat (4). Petiit humiliter S. Bernardus ab Honorio II,

(1) Epiſt. 4, lib. 11, pag. 1094 et ſeq.

(2) Ivon. Carnot. decret. part. 5, cap. 357.

(3) Ranald. ad ann. 1099, num. 19.

(4) Albert. Krantz, metropol. lib. 7, cap. 17, § 1.

ut AlbericumCatalanemſem ſuo ſuffragio electum confirmare dignaretur (1), quod plane oſtendit S. abbatem agnoviſſe nullius momenti epiſcoporum electiones eſſe, niſi apoſtolica intercederet approbatio.

Poſtremo cum continuæ excitarentur diſcordiæ, tumultus, cæterique abuſus, oportuit populum ab electionibus removere, ejuſque teſtimonium, & deſiderium circa perſonam eligendam præterire.

Quæ quidem populi excluſio ſi providè tunc eſt inducta, cum de ſolis catholicis ad electiones admittendis agebatur; quid dicendum erit de decreto nationalis conventûs, cujus vi, poſteabito clero, electiones hujusmodi gallicis diſtrictibus tribuuntur, in quibus cum contineantur Judæi, hæretici, & multa Etherodoxorum genera, quorum in epiſcopalibus electionibus non mediocris pars intereſſet, tunc illud conſequeretur, quod maxime abhorruit, ac ferre noluit S. Gregorius magnus, qui ad Mediolanenſes ſcribens (2) teſtatus eſt « nos in hominem qui » non à catholicis, & maxime à Longobardis « eligitur, nullâ præbemus ratione conſenſum...

(1) Epist. 13, tom. 1, oper. pag. 33 .. edit. Maurin.
(2) Epist. 4, lib. 11, pag. 1094 et seq.

» quia vicarius S. Ambroſii indignus evidenter
» oſtenditur, ſi electus à *talibus* ordinatur ».

Ita enim non ſolum renovarentur perturbationes omnes, offenſiones que jam à tanto tempore abolitæ, ſed & facile in Epiſcopos deligerentur viri, qui illos in ſuâ errorum corruptelâ ſocios haberent, & magiſtros, vel qui ſaltem occultè in animo ſenſus foverent congruentes ſenſibus electorum, ut advertit S. Hieronymus (1) dicens: « Non numquam errat plebis vulgi-
» que judicium, & in ſacerdotibus compro-
» bandis, unuſquiſque ſuis moribus favet, &
» non tam bonum, quam ſui ſimilem quærit
» præpoſitum ». Quid autem ab hujuſmodi Epiſcopis, *qui aliunde intrarent quam per oſtium* eſſet expectandum, immò quid non timendum in religionem mali, qui deceptionis laqueo detenti nullo modo à deceptione poterunt corrigere populum (2)? Illi certe qualeſcumque eſſent, nullam haberent ligandi & ſolvendi poteſtatem, utpote legitimâ miſſione carentes, & extrà Eccleſiæ communionem eſſe ſtatim declarentur ab hac ſanctâ ſede, quod ſemper facere in hujuſmodi ca-

(1) Lib. 1, advers. Jovin. n. 14, pag. 292, tom. 2, oper. edit. Vallars.
(2) S. Damas. Epist. 3, n. 2, inter collect à Constant. pag. 482 et 486.

ſibus in uſu habuit, idque nunc etiam publico programmate declarat in omnibus epiſcoporum Ultrajectenſim electionibus (1).

Sed in decreto conſequitur aliquid, quod adhuc deterius videtur eſſe, nimirum electi à ſuis diſtrictibus epiſcopi jubentur metropolitanum, vel ſeniorem adire epiſcopum ad obtinendam ab illo confirmationem, quam ſi ille concedere recuſaverit, præſcribitur, ut hujus repulſæ cauſam in ſcriptum redigat, utque excluſi interponere poſſint appellationem *ex abuſu* apud magiſtratus civiles, qui judicaturi erunt ſuper ipſo metropolitanorum, vel epiſcoporum excludentium judicio, penes quos nempe reſidet de moribus & doctrinâ judicandi poteſtas, & qui, ut ſcribit S. Hieronymus (2), conſtituti fuerunt, ut populum coerceant ab errore. Verùm ut magis pateat, quam illegitima ſit ac incompetens iſthæc ad Laicos appellatio, revocandum in memoriam eſt celeberrimum illud Conſtantini Imperatoris exemplum. Cùm enim multi advenisſent Nicæam ad celebrandum concilium epiſcopi,

(1) Benedict. XIV, ad univers. cathol. in fœderato belgio commorantibus, in ejus Bullar. tom. 1, const. 11.

(2) Advers. luciferian. n. 5, tom. 2, oper. edit. Vallar. pag. 176.

opportunum eſſe cenſebant, ut idem intereſſet Imperator, ad quem poſſet Arianorum nomen deferri. At Imperator acceptis libellis qui ipſi erant oblati. " Mihi, inquit, cùm homo ſim, „ nefas eſt hujuſmodi rerum cognitionem arro„ gare, cùm & qui accuſant, & qui accuſantur; „ ſacerdotes ſint „ (1). Alia item multa adduci poſſent hujus generis exempla, ſed nimii in re manifeſtâ eſſe nolumus. Quod ſi contra afferatur ejus filius Conſtantius *catholicæ certè eccleſiæ hoſtis*, qui ſibi auctoritatem arrogabat, quam ipſius pater ſe non habere confeſſus fuerat, facile est ex SS. Athanaſii (2) & Hieronymi (3) ſcriptis agnocere quantopere illa ſint facta deteſtati.

Demùm quid aliud hiſce decretis efficere conventus voluit, quam evertere, & ad nihilum redigere epiſcopatum ipſum, quaſi in illius odium, cujus miniſtri ſunt epiſcopi; quibus prætereà permanens dicernitur conſilium preſbyterorum, qui vicariii nuncupandi ſunt, atque hi ut ſex-

(1) Sozomen. histor. Eccles. lib. 1, cap. 17, num. 25.

(2) Histor. Arian. ad monac. n. 52, tom. 1, oper. edit. Maurin, pag. 376.

(3) Advers. Luciferian. num. 19, tom. 2, oper. edit. Vallars. pag 191.

decim numero eſſe debeant in civitatibus decem millia capitum continentibus, duodecim verò ſub minor eſſet numerus incolentium. Alios item adciſcere ſibi coguntur epiſcopi, illos nimirum qui ſuppreſſarum parœciarum erant parochi, hique vicarii pleni juris appellantur, cujus vi juris, epiſcopis quibus addicti ſunt, minimè obnoxii eſſe, ſubjectique debeant, Quod ad primos pertinet, etſi eorum deligendorum epiſcopis relinquatur arbitrium, hi ipſi tamen inhibentur ad ullum juriſdictionis actum ſine illorum nutu, (præterquam proviſionaliter) devenire, & eorum quempiam à ſuo conſilio, niſi ex pluribus ipſius conſilii ſuffragiis amovere. Quid hoc aliud eſt ſcilicet quam velle, ut unaquæque diœceſis regatus à presbyteris qui epiſcopi juriſdictionem obruant ? Nonne hunc in modum illi contradicitur doctrinæ quæ in actis apoſtolorum legitur (1). " Spiritus-ſanctus poſuit epiſcopos „ regere eccleſiam Dei, quam aquiſivit ſan- „ guine ſuo „. Omniſque ſacræ hierarchiæ ordo invertitur prorsùs ac perturbatur ? Æquantur nempe epiſcopis presbyteri, quod primun aſſeruit *Aerius* presbyter, *Wiclephus* porrò & *Mar-*

---

(1) Cap. 20, vers. 28.

ſilius de Padua, & *Joannes de Janduno*, quos demùm conſecutus eſt *Calvinus* juxta collecta à Benedicto XIV in ejus oper. de ſynod. diœceſan (1).

Imò ipſis epiſcopis anteponuntur presbyteri, cùm illi nequeant horum quemque è conſilio removere, aut quidquam decernere, niſi ex pluribus vicariorum deliberantium, ut diximus, ſuffragiis. Et tamen canonici qui capitula legitimè fundata componunt, quique eccleſiarum ſenatum conſtituunt, non aliâ cùm in conſilium adhibentur ferre poſſunt ſuffragia, quàm tantùm, ut appellant, conſultativa, quemadmodùm ex duobus conciliis provincialibus Burdegalenſibus firmat Benedictus XIV (2).

Quantùm porrò ad ſecundi generis vicarios pertinet qui *pleni juris* nuncupantur, mirabile ſanè eſt, ac prorſus inauditum, ut epiſcopi teneantur illorum adhibere operam; ad quam recuſandam, juſtas habere poſſunt cauſas, & ut qui non niſi ſubſidiarias partes gerant, locumque eorum, qui inhabiles non ſunt, ſuppleant, non etiam iiſdem, de quorum officio agitur ſubjiciantur.

(1) Lib. 13, cap. 1, num. 2.

(2) Cit. oper. de synod. ecd. lib. 13, cap. 2. n. 6.

Sed ulterius adhuc eſt progrediendum. Cùm conventus iſte ad ſtatuendam ſeminariorum regendorum legem devenerit, epiſcopis, ut eligendorum vicariorum ex univerſo clero poteſtatem fecit, non ità etiam arbitrio reliquit ſuperiorum, ſeu rectorum in ſeminariis electionem; vult enim ut hæc ab ipſo unà cum vicariis ex majori ſuffragiorum numeru peragatur, prohibetque illos ab impoſito numere, niſi ex plurium vicariorum, ut diximus conſenſu removeri. Quis hic non videt, quantum epiſcopis diffidatur, quorum eſt curam habere inſtitutionis & diſciplinæ illorum qui in eccleſiam adlegendi ſunt, ejuſque obſequiis addicendi? Et tamen nihil certum magis indubitatumque, quam quod caput & ſummus adminiſter ſeminariorum ſit epiſcopus: & quamquam Tridentina ſynodus (1) mandet, ut duo canonici ſuper eccleſiaſticâ alumnorum diſciplinâ inſtituantur, eorum tamen electio relinquitur epiſcopis, *prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit*, neque inhærere eorum judiciis, neque aſſentiri conſiliis adſtringuntur. Nunc verò quantam poterunt epiſcopi fiduciam ponere in eorum curâ, qui electi ab aliis fuerint, juratâ fortaſſe obſ-

---

(1) Seſs. 23, de reformat. cap. 18.

triſtis fide, ad infecta illa ſervanda conventus decreta.

Tandem, ad epiſcopos in extremæ abjectionis ſtatum deprimendos ac in omnium contemptum adducendos decernitur, ut tribus quibuſque menſibus, tanquam mercenariam præſtantes operam, tantam recipiant ſtipem, quanta non poſſens amplius indigentium, qui magnam Populi partem conſtituunt, ærumnas ſublevare, multoque etiam minus ſuum tueri epiſcopalis characteris gradum. Hæc nova congruæ epiſcopalis inſtitutio ab illâ prorſus diſſidet, quæ attributa epiſcopis ac parochis fuerit in fundis ſtabilibus; quæ ipſi adminiſtrarent, fructuſque tanquam Domini perciperent; ideòque eccleſiis *unum manſum* deſtinatum fuiſſe reperimus, ut legitur in capitularibus & Caroli Magni (1), & Regis Lotharii (2). » Volumus ut ſecundùm juſſionem Domini, ac » genitoris noſtri unus manſus cum duodecim » bunhariis de terra arabili idi detur «. Et cùm aſſignatæ aliquibus epiſcopatuum menſis non ſufficerent dotes, augebantur abbatialium fundorum

(1) Capitular. an. 789, cap. 15, tom. 1, pag. 253, edit. Paris. Baluz.

(2) Tit. 4, cap. 1, tom. 2, pag. 327, ejusd. edit.

unione, ut ſæpius in Galliâ, ac noſtri etiam Pontificatûs tempore factum eſſe recordamur. Nunc verò quo vitam ipſam epiſcopi tueantur, erit in poteſtate Laicorum, qui ærario præſunt; quique eos ſua illa mercede fraudare valeant, ſi perverſis quæ memoravimus decretis adverſentur. Huc accedit ut certâ pecuniæ parte cuique epiſcopo aſſignatâ, nemo ex ipſis unquam amplius poterit, cùm neceſſitas adiget, ſibi ſuffraganeum ſeu coadjutorem adſciſcere, ſiquidem ei, quod ad vitam dignitatemque tuendam conveniat, ex eccleſiæ fructibus ſuppeditare non valebit. Quam certè neceſſitatem non rarò contengere in diœceſibus novimus vel ob provectam epiſcopi ætatem, vel ob malè affectam ejus valetudinem, ut quidam Lugdunenſis Archiepiſcopus ob ejuſmodi cauſam & petierat à Pontifice, & obtinuerat ſuffraganeum aſſignatâ eidem congruâ ex Archiepiſcopalis menſæ proventibus (1).

Cum jam viderimus, dilecti filii noſtri, & venerabiles fratres, valdeque mirati ſimus decretam iſthic eſſe præcipuorum diſciplinæ eccleſiaſticæ articulorum immutationem, ſuppreſſionis

(1) Benedictus XIV, de Synod. diœs. lib. 13, cap. 11, num. 12.

nempe,

nempe, divisionis, et erectionis episcopalium sedium nec non sacrilegæ episcoporum electionis, quæque ex iis damna consequantur, nonne idem ob easdem rationes sentiendum erit de parochiarum suppressionibus, ut vos ipsi in vestrâ expositione jam animadvertistis. Sed facere non possumus, quin hìc adjungamus, quod præter commissum provincialibus conventibus munus distribuendi, prout ipsis visum fuerit, suos parœciis fines, in maximam nos etiam adduxit admirationem innumerabilis earum suppressio, cùm jam nationalis decreverit conventus, ut in urbibus, aut oppidis in quibus sex capitum millia tantummodo censeantur, non nisi una constitueretur parœcia. Et quo unquam modo unus parochus sufficere tanto curando populo poterit? quam ad rem opportunum hìc videtur referre cardinalem Conradum à Gregorio IX. ad præsidendum Coloniensi synodo delegatum, hisce verbis iuterrogasse quemdam qui aderat parochum quique vehementer contendebat, ne illuc fratres ordinis prædicatorum inducerentur. « Quis est numerus hominum in » parœchiâ tibi subditorum? cùm ille esse no- » vem millia respondisset, tùm cardinalis ad- » miratione irâque commotus; Quis es, inquit, » tu miserrime, qui tot millibus sufficis debitam

» gubernationis curam impendere? nescis, hominum perditissime, quia in illo debes tremendo judicio ante tribunal Christi de his omnibus respondere? et tu si tales habes vicarios, (fratres prædicatores) querularis, qui onus tuum gratis relevent, sub cujus pondere nescius conquassaris: quia igitur ex hac queralâ indignum te curâ omnimodè judicasti, ideo privo te omni beneficio pastorali (1) », et quamvis illic de novem hominum millibus agebatur, hìc verò, nimirum à conventûs decreto, sex tantum millia unius parochi curæ tribuantur nihilo tamen minus quis non fateatur talem etiam numerum longè longèque unius parochi vires excedere, ac consequi producere, ut multi ex parochianis necessariò priventur spiritualibus subsidiis, pro quibus ad regulares, qui jam suppressi sunt, confugere non valebunt?

Transimus jam ad bonorum ecclesiasticorum invasionem, ad alterum scilicet errorem Marsilii Patavini, et Joannis de Janduno damnatum in constitutione Joannis XXII. (2) et longe

(1) Abraham Bzov. annal. Eccles. ad ann. 1222, § 6, edit. Colon. 1621.

(2) Apud Rainald. ad ann. 1327, num. 28 ad seq.

ante decreto S. Bonifacii I. Papæ à pluribus relat. (1) « Nulli licet ignorare quod omne, » quod Domino consecratur, sive fuerit homo, » sive animal, sive ager, vel quidquid fuerit » semel consecratum sanctum sanctorum erit » Domino, et ad jus pertinet sacerdotum. » Propter quod inexcusabilis erit omnis qui ea » quæ Domino, vel ecclesiæ competunt aufert, » vastat, et invadit, vel diripit, et usque ad » emendationem, ecclesiæque satisfactionem, » ut sacrilegus judicetur; et si emendate noluit, » excommunicetur ». Concil. Toletan. VI (2); ibique not. Loaisæ Litt. D. qui concilii textum illustrat : « Quantum piaculum sit res à fidelibus » sincerâ fide ecclesiis datas, ab eis auferri, ac » distrahi multa hoc tempore extant doctissi- » morum virorum scripta, quæ brevitatis causâ » prudens omitto. Unum tantùm subjiciam, quod » in constitutionibus orientalibus scriptum in- » venio LL. Nicephorum Phocam donationes » monasteriis ac templis relictas prorsùs abole- » visse, legé etiam latâ, ne ecclesia immobi- » libus locupletaretur bonis; causatus episcopos

(1) Apud Constan. pag. 1050, num. 3.

(2) Habit. ann. 638, can. 15, in collect. Labbe, tom. 6, pag. 1497 et 1502.

» male prodigere ea, quæ pauperibus darentur, » militibus interim deficientibus : cujus temerariam hanc impietatisque plenam legem Porphyrogeneta dominus Basilius junior aliâ lege latâ sustulit, quam dignam, quæ hìc apponeretur existimavi. « Imperium nostrum inquit, quod à Deo profectum est, cùm et à monachis, quorum pietas et virtus est testata, et à multis aliis legem de Dei ecclessiis, et sanctis domibus, vel potiùs contra Dei ecclesias, et sanctas eorum domos à domino Nicephoro, qui imperium invasit conditam, præsentium malorum causam fuisse, et radicem, et universalis hujus subversionis et confusionis, (ut quæ ad injuriam et contumeliam non solùm ecclesiarum et sanctarum domorum, sed etiam ipsius Dei facta sit) intellexisset, et maximè cùm id reipsa expertum esset, ex quo enim hæc lex est observata, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitæ nostræ occurrit, sed contra nullum penitus calamitatis genus defuit, statuit per præsentem auream bullam, ut lex prædicta ab hoc præsenti die cesset, et deinceps infirma, et irrita permaneat, et locum habeant, et in usu sint, quæ de Dei ecclesiis et sanctis et religionis domibus factæ sunt leges ».

Hoc antiquissimum et constans fuit tam optimatum, quàm populi Francorum desiderium. Obtulerunt enim anno 803. Carolo magno sequentes preces(1). « Flexis omnes precamur poplitibus, majestatem vestram, ut episcopi » deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus, sed quando vos, nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis... » illud tamen vobis et omnibus scire cupimus » quod non propterea hoc petimus, ut eorum » res, aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi » ipsis aliquid sponte nobis date placuerit, aut » eorum ecclesias viduari cupiamus, sed magis » eis, si dominus posse dederit, augere desideramus, ut et ipsi, et vos, et nos salviores » simus, et deo potius ipso adminiculante, » placere mereamur. Scimus enim res ecclesiæ » Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes » omnes fidelium, et pretia peccatorum; quapropter si quis eas ab ecclesiis, quibus à fidelibus collatæ, Deoque sacratæ sunt, aufert, » procul dubio sacrilegium committit, cæcus » enim est qui ista non videt. Quisquis ergo » nostrum suas res ecclesiæ tradit, domino Deo » illas offert, atque dedicat, suisque sanctis,

(1) Capitular. tom 1, pag. 405.

» et non alteri, dicendo talia et agendo ita,
» facit enim scripturam de ipsis rebus, quas
» Deo dare desiderat, et ipsam scripturam co-
» ram altari, aut supra tenet in manu, dicens
» ejusdem loci sacerdotibus atque custodibus,
» offero Deo, atque dedico omnes res, quæ
» hac in cartula tenentur inserta pro remissione
» peccatorum meorum atque parentum et fi-
» liorum. . . . Qui eas inde posteà aufert, quid
» agit nisi sacrilegium? si ergo amico quid-
» piam rapere furtum est, ecclesiæ verò frau-
» dari, vel auferri, indubitanter sacrilegium
» est . . . . Ut ergo hæc omnia à vobis, et à
» nobis, sive à successoribus vestris et à nos-
» tris, futuris temporibus absque ulla dissimu-
» latione conserventur, scriptis ecclesiasticis
» inserere jubete, et inter vestra capitula in-
» terpolare præcipite. »

Ad hæc respondit imperator: (1) « Modo ista
» sicut petiistis concedimus.... novimus enim
» multa regna, et reges eorum propterea ceci-
» disse, quia ecclesias spoliaverunt, resque earum
» vastaverunt, alienaverunt, vel diripuerunt,
» episcopisque, et sacerdotibus, atque quod ma-
» gis est ecclesiis eorum abstulerunt... et ut hæc

(1) Capitular. tom. eod. pag. 407 et 411.

» devotiùs per futura tempora conserventur, » præcipientes jubemus, ut ullus tam nostris, » quam futuris temporibus à nobis, vel successoribus nostris ullo unquam tempore, absque » consensu et voluntate episcorum, in quorum » parochiis esse noscentur, res ecclesiarum » petere, aut invadere, vel vastare, aut quocumque ingenio alienare præsumat; quod si » quis fecerit, tam nostris quam et successorum » nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii sub- » jaceat, et à nobis, atque successoribus nostris, » nostrisque judicibus, sicut sacrilegus et » homicida, vel fur sacreligus legaliter puniatur, » et ab episcopis nostris anathematizetur ».

Sed quisquis partem habet in hac usurpatione, perlegat vindictam quam Dominus fecit de Heliodoro ejusque cooperatoribus, qui rapere tentaverant thesauros de templo contra quos Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam: ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem, et formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi

gloriâ, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus cecidit in terram, eumque multâ caligine circumfusum, rapuerunt, atque in sellâ gestatoriâ positum injecerunt. Ita legitur lib. 2 Machabæorum (1), et tamen agebatur de pecuniis quæ non pertinebant *ad rationem sacrificiorum*, nec propriæ templi erant, sed inibi asservatis pro alimoniâ pupillorum, viduarum et aliorum; nihilominus ob violatam templi majestatem et sanctitatem et rei alienæ usurpationem inflexit Dominus gravissimam illam Heliodoro, ejusque sociis pœnam. Hoc exemplo perterrefactus imperator Theodosius destitit abripere depositum cujusdam viduæ asservatum in ecclesiâ Ticinensi, ut enarrat S. Ambrosius (2).

Atque hìc quis unquam sibi persuadeat, quod cùm occupentur, atque usurpentur ecclesiarum, ecclesiasticorumque catholicorum bona, præserventur contrà fundi protestantibus, quos ipsi in religionem rebellantes invaserant, adductâ conventionum causâ? Scilicet penes nationalem

(1) Cap. 3 ver. 24 ad 28.

(2) Lib, de offic. cap. 29, num. 150 et 151, tom. 2 oper. pag. 106, edit. Maurin.

conventum illæ cum protestantibus conventiones valuerent, sanctiones verò canonicæ, sanctæque hujus sedis cum rege Francisco I pacta non valuerunt; placuitque illis in ea re gratificari, in qua dei sacerdotium disperdebatur. Sed quis non facilè intelligat, in hac bonorum ecclesiasticorum occupatione, inter cetera in animo haberi, spectarique, ut sacra profanentur templa, ut ecclesiæ ministri in omnium contemptum adducantur, utque alii imposterùm à sorte Domini deligendâ deterreantur: vix enim ea usurpari bona cœperant, cùm statim divini cultus abolitio consecuta est, occlusa templa, sacræ supellectiles amotæ, et cessare jussus in ecclesiis divinorum officiorum cantus. Hactenus gloriari potuit Gallia jam VI sæculo penès se introducta floruisse secularium clericorum collegia, seu capitula, ut videre est apud Gregorium Turonensem (1), patet que ex aliis monumentis quæ à Mabillonio in veter. Analect. adducuntur (2). Atque à concilio III Aurelianensi habito anno 538 (3). Sed modo cogitur Gallia ipsa eorum deflere abolitionem adeò injustè, atque indignè in natio-

(1) Histor. Francor. lib. 10, § 16, pag. 535.
(2) Pag. 249. Par. 1722.
(3) Canon 11, pen. Labbe, tom. 5, concil. p. 1277.

nali conventu decretam. Erat præcipua canonicorum occupatio divinas laudes quotidie in ecclesiis canendo conjunctim persolvere, ut habetur in vitis episcoporum Metentium (1) apud Paulum diaconum, ubi legitur « episcopus Chrodegandus clerum abundanter lege divinâ, romanaque imbutum cantilenâ morem, atque ordinem romanæ ecclesiæ servare præcepit ». Cùm imperator Carolus magnus ad Adrianum I transmisisset opus de sac. imagin., ut ab ipso examini subjiceretur, hac opportunitate pontifex ipsum hortatus est, ut plures Galliarum ecclesiæ, quæ quondam apostolicæ sedis traditionem in psallendo recipere recusabant, eam cum omni diligentiâ amplecterentur, ut cui adhæserant fidei munere, adhererent quoque psallendi ordine. Verba caroli magni longâ enarratione legi possunt apud Georg. de liturgia romani pontificis (2). Ulterius idem imperator voluit, ut in monasterio Centulensi instituëretur schola cantorum ad instar illius quam Romæ instituit S. Gregorius magnus, in eaque centum pueri alerentur qui per tres choros divisi monachis in-

(1) Tom. 13, biblioth. PP. edit Lugd. pag. 321.
(2) Tom. 2, dissertat. 1, cap. 7, § 6.

servirent in auxilium psallendi et cantandi (1). Et consonat quod recenter confirmavit *Colomannus Sanftl.* monachus bibliothecaricus in monasterio S. Emmerami Ratisbonæ in dissertat. (nobis dicata) in aureum, ac pervetustum ss. evangeliorum codicem mss. ejusdem monasterii (2). « Principio id maximè curarunt Gallicani, His- » panique episcopi, ut in quavis provincia » uniformis in divinis officiis ritus servaretur: » extant varia hâc de re decreta apud Gallos, » tum apud Hispanos: insignis est imprimis cons- » titutio Toletani concilii IV. (habiti anno » 531.) *Cujus* patres post expositam catholicam » fidem, nihil antiquiùs habuerunt quam ut » uniformem psallendi modum adstruerent. Ca- » non. 2. » Ita antiquum hujusmodi ritum indicat Mabillonius in disquisitione de cantu gallicano (3).

Quod igitur jam ab antiquissimis sæculis ecclesia gallicana instruere ac stabilire tantopere studuit, ut sui ecclesiastici in canonicorum gradu decorâ sacri muneris occupatione detinerentur,

(1) Georg. Loer, cit. §. 7.

(2) Part. 1, præliminar. § 1, part. 3 et 4.

(3) In calce suæ Gallis. Liturg. § 5, num. 49, pag. 418, edit. Paris. 1779.

utque fideles tantò magis ad ecclesias eorum perfunctione invitati concurrerent ad contemplanda divina mysteria, ad consequendam Dei gratiæ reconciliatonem; idipsum modo nationalis conventus uno decreto suo, non sine plurimâ omnium offensione repentè sustulit, evertit, abolevit, quâ in parte sequutus est (sicut in cunctis decreti articulis) hæreticorum dictamen, ac in præsenti deliria *Wiclefistar. Magdeburgensium centuriatorum, et Calvini*, qui in cantus ecclesiastici antiquitatem, et usum debacchati sunt, contra quos copiosè agit P. Martinus Gerbert abbas monasterii et congregationis S. Basilii in sylva nigra (1). Qui eum anno 1782 Vindobonam religionis causâ accessimus, pluries nos adiit, nobisque coram comprobavit, quam meritò tam illustrem sui nominis famam sibi comparaverit.

Sed expendant oportet decreti auctores quid in synodo Attrebatensi anni 1025 (2) hujusmodi psalmodiæ hostibus historicè et dogmaticè edicitur, ut majori semper verecundiâ perfundatur. » Quis autem dubitet vos immundo spiritu agi-

(1) De cantu et musica sacra, tom. 2, lib. 4. cap. 2.

(2) Cap. 12, de psallendi officio in collect. Labbe, tom. 11, pag. 1181 et seq.

» tari, dum hoc, quod per Spiritum sanctum
» prolatum, atque institutum est, id est usum
» psallendi in S. Ecclesiâ abjicitis, et quasi su-
» perstitiosum errori cultum imputatis: sumpsit
» ergo hanc modulandi formam ordo ecclesias-
» ticus non ex ludicris aut jocularibus inspecta-
» tionibus, sed ex veteris et novi testamenti
» patribus..... unde constat eos de gremio S.
» Ecclesiæ exterminandos, qui hoc psallendi
» officium indicant nequaquam ad cultum di-
» vinum pertinere... Patet igitur tales à capite
» suo, id est, diabolo non dissentire, qui est ca-
» put omnium iniquorum, qui etiam scriptu-
» ram sacram intelligens sinistrâ eam interpreta-
» tione pervertere molitur». Demum si domus Dei decor, et cultus in isto regno prolabatur, necessariò consequetur, ut ecclesiasticorum numerus deficiat, illudque contingat, quod S. Augustinus (1) refert accidisse Judæorum genti: « quæ
» postquam cœpit non habere prophetas, pro-
» cul dubio deterior facta est, eo scilicet tem-
» pore quo sperabat futuram esse meliorem.

Inceptam jam prosequentes viam gradum ad ipsos regulares facimus, quorum bona sibi con-

(1) De civit. Dei, lib. 18, cap. 45, num. 1, tom. 6, oper. pag. 527, edit. Maurin.

ventus nationalis arrogavit, minus odiosum tamen prætexens titulum, ut scilicet eorum fructibus uti posset; quod reipsa quantulum à verâ distat dominii proprietate ? Si quidem edito die 13 februarii decreto, ac post sex dies regiâ sanctione confirmato, suppressa omnia fuerunt regularium instituta, vetitumque etiam, ne ulla alia imposterum admitterentur. At verò quantam illa ecclesiæ utilitatem afferant, ex ipsa deducit experientiâ concilium Tridentinum (1); « quo- » niam non ignorat synodus quantum ex mo- » nasteriis piè institutis, et rectè administratis » in ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oria- » tur ». Ac profecto omnes ecclesiæ patres regularium ordines summis laudibus exornarunt, inter quos S. Joannes Chrysostomus qui tribus integris libris contra illorum oppugnatores acerrimè decertavit (2), et postquam S. Gregorius magnus monuerat Marinianum Ravennæ archiepiscopum, ne adversus monasteria gravamina exercere, deberet ea defensare, et religiosos illuc summopere congregare (3), convo-

(1) Sess. 25, de regular. cap. 1.

(2) Tom. 1, oper. edit. Maurin. à pag. 44 ad 118, et opuscul. de comparation. regis et monachi, tom. eod. à pag. 116 ad 121.

(3) Epist. 29, litt. A, lib. 6, tom. 2, oper. edit. Maur.

cavit concilium episcoporum et presbyterorum, in eoque decretum edidit » quod nullus epis- » coporum aut secularium ultra præsumat de » redditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, » vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, » quocumque modo, seu qualibet occasione mi- » nuere, vel dolo malo, vel immissiones ali- » quas facere ». (1) Insurrexit post modum sæculo XIII, Guillelmus de sancto amore, qui libro *de periculis novorum temporum*, totus fuit in deterrendis hominibus à conversione, et à religionis ingressu; sed liber iste in examen revocatus à pontifice Alexandro IV *iniquus*, *scelestus*, *execrabilis*, *et nefarius esse* declaratus est (2).

Adversus præfatum Guillelmum scripserunt, eumque refurarunt duo ecclesiæ doctores, S. Thomas Aquinas (3), et S. Bonaventura (4). Et quoniam eamdem damnatam sententiam renovavit *Lutherus* damnationem et ipse subiit à

(1) In appendic. epistolar. S. Gregroii magni cit. tom. 2, pag. 1294, n. 7.

(2) Constit. 35, in illas ejusd. Pontif. in bullar. Roman. tom. 3, pag. 378, edit. Rom. 1740.

(3) Tom. 25, oper. edit Paris. 1660, pag. 533 ad 666.

(4) Libell. apologetic. tom. 7, oper. edit. Lugdun. 1668 pag. 346 ad 285.

Pontifice Leone X. (1) Pariter in uno ex conciliis Rothomagensibus anni 1581 (2), moniti fuerunt episcopi, ut subsidiarios regulares tuerentur, et caros haberent, atque alerent sicut coadjutores, omnesque illis factas injurias et contumelias, suas esse existimarent et propulsarent. Memorabilia semper erunt pia vote divi Ludovici IX, Galliarum regis, cui in animo insiderat, ut duo, quos in orientali expeditione susceperat filios, cùm ad annos discretionis pervenissent, intra septa monasterii enutrirentur; alter apud dominicanos, apud minoritas alter, ut sacris institutis, et litteris instruerentur, et ad amorem religionis inducerentur, desiderans toto corde, ut documentis salutaribus informati Domino inspirante loco, et tempore ipsas religiones intrarent (3). Novissimè verò auctores operis inscripti, « noveau traité » de diplomatique » (4), cùm refellerent adversarios exemptionum regularium hæc in verba

(1) Bulla in collect. concilior. Labbe, tom. 19, p. 153.

(2) In ead. collect. Labbe, cap. de curator. offic. n. 41, tom. 21, pag. 651.

(3) Vita S. Ludovici, cap. 14, inter francor script. collect. à Duchesne, tom. 5, pag. 448 in fin.

(4) Où l'on examine les fondemens de cet art, tom. 5, pag. 379, in fin et 380, edit. Paris. 1761.

prorupuerunt

pro rupuerunt. « Quelle attention peuvent
» donc mériter les déclamations de l'histo-
» rien du *droit public ecclésiastique françois*,
» contre les privilèges accordés au monas-
» tères ; privilèges, dit-il, et exemptions qui
» n'ont pu être accordées sans renverser la
» hiérarchie, sans violer les droits de l'épis-
» copat, et qui sont de vrais abus, et en ont
» produit de fort considérables. *Quelle té-*
» *mérité* de s'élever ainsi contre une dis-
» cipline si ancienne, si autorisée dans l'é-
» glise et dans l'état ! »

Non hic inficiamur, neque mirum cuiquam videatur, apud aliquos regulares remissiorem aliquando, languidiorem que effectum esse posse suorum institutorum spiritum, neque pristimum disciplinæ ab iis præscriptæ rigorem retineri. At propterea ne abolendi illi sunt ordines? Audiatur hanc ad rem, quod in concilio Bazileensi objecit Petro Rayne, regulares oppugnanti, Joannes de Polemar. Iste minime quidem negavit invaluisse aliqua inter regulares reformatione digna : illud tamen adjunxit, quod « licet in
» religiosis multa sint, hoc tempore, quæ re-
» formatione indigent sicut et in cæteris sta-
» tibus ; tamen nihilominus multum illumi-
» nant ecclesiam prædicationibus, et doctri-

» nis ; et nemo prudens in caliginoso loco » existens, lucernam extinguit non bene sibi » lucentem ; sed habentem succum, seu scho- » riam, curat aptare quo melius potest. Nam » melius est, quod aliquantulum turbide lu- » ceat, quam si penitus esset extincta (*a*). Quæ plane sententia ab alia derivatur, quam S. Augustinus tanto ante protulerat, nimirum « (*b*) numquid ideo negligenda est medicina » quia nonnullorum insanabilis est pesti- » lentia ? »

Qua propter regularium abolitio, à conventu nationali plaudente hæreticorum commentis decreta, lædit statum publicæ professionis conciliorum evangelicorum ; lædit vivendi rationem in ecclesiâ commendatam, tanquam apostolicæ doctrinæ consentaneam, lædit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi à Deo inspirati eas instituerunt societates. Sed ulterius etiam progreditur conventus nationalis, statuitque in decreto die 13 februarii 1790. Se nequaquam recognoscere solemnia religiosorum vota ; et consequenter declarat ordines et congregationes regulares in quibus illa emittuntur, suppressas esse in gallia, et

(*a*) In collect. Labbe, tom. 17, pag. 1251.

(*b*) Epist. 93, n. 3. tom. 2, oper. pag. 231 ; édit. Maurin.

suppressas remanere, neque unquam restitui in posterum posse. Quod quid est aliud quam manus in vota majora ac perpetua immittere, eaque abolere, quæ tantum modo ad pontificiam spectant auctoritatem ? Vota enim majora, inquit, S. Thomas (*a*), punta continentiæ, summo pontifici reservantur. Cumque agatur de promissione Deo solemniter *facta ad nostram utilitatem*, ideo in psalm. 75, vers. 12. Legitur « vovete et reddite Do» mino Deo vestro » et in ecclesiaste (*b*). « Si» quid vovisti Deo, ne moreris reddere, dis» plicet enim ei infidelis et statuta promissio, » sed quodcumque voveris redde ».

Præterea cum ipse etiam summus pontifex peculiaribus pro tempore inductus rationibus, existimet concedendam à se esse solemnium votorum dispensationem, in idipsum non ex potestatis suæ arbitrio sed per modum declarationis procedit, neque mirum hic videri debet *Lutherum* docuisse, *vota non reddere Domino Deo suo*, cum ipse fuerit apostata, et religionis suæ desertor. At ut ipsa conventus nationalis consultissima, ut sibi videntur, membra re-

(*a*) 2. 2. quest. 88, art. 12. in fin.
(*b*) Cap. 5. vers. 3.

prehensionem, exprobrationem que effugerent, quam ex tot dispersorum religiosorum conspectu in se se obventuram agnoscebant, iisdem suæ professionis habitum ademerunt, ne ulla remaneret præteriti status, à quo deturbati erant, species, ac ipsa etiam aboleretur ordinum memoria. Suppressi igitur ipsi ordines sunt, tam ut in eorum invaderetur bona, quam ne amplius qui quam existeret, qui populos ab errore, ac à morum corruptione revocaret. Hoc ipsum tam pravum ac tam pestilens artificium graphicè describitur, reprobaturque, à concilio Senonensi, quod ab initio laudavimus: « Monachis et aliis voto obstrictis libertatem » lasciviendi indulgent; quibus relicto velo, » et abjectà cucullâ ad sæculum redeundi » facultatem relaxant, et apostasiam per» mittunt, Romanorum pontificum decreta, » decretales epistolas etiam, et canones » conciliares enervare contendunt (*a*) ».

Ad ea quæ modo exposuimus de votis regularibus, adjicere oportet inmâne judicium latum adversus sacras Virgines, eas à suis claustris ejiciendo, ut egit *Lutherus* qui « Sancta illa » Deo vasa polluere non veretur, consecratas

(a) In collect. Labbe, tom. 19. pag. 1157 et 1158.

» que Christo Virgines, et vitam monasticam » professas extrahere è monasteriis suis, et » mundo, imo diabolo; quem semel abjura» verunt, reddere (*a*) ». Cum moniales (pars catholici gregis illustrior) sæpe per suas orationes gravissima à civitatibus averterint pericula, ut suo tempore Romæ evenisse S. Gregorius magnus agnoscit, « si ipsæ, inquiens, » (moniales) non essent, nullus nostrum, » jam per tot annos in hoc loco subsistere in» ter Longobardon gladios potuisset (*b*) ». Et Benedictus XIV, loquens de suis monialibus Bononiensibus fatetur. «Urbem Bononiæ mul» tis ab hinc annis tot calamitatibus jactatam » stare non potuisse, nisi preces assiduæ nos» trarum monialium incensam Dei iracun» diam, mitigassent (*c*) ».

Intereà moniales, quæ nunc in Galliâ maximis perturbationibus agitantur, in plurimam commiserationem nos adduxerunt; cum magna earum par ex universis istis provinciis

(*a*) Hadrianus VI. In breve ad Frideric. saxoniæ duc. advers. luther. in collect. Labbe, tom. 19 pag. 10, l. 4.

(*b*) Epist. 26, lib. 7, pag. 872. edit. Maurin.

(*c*) Institut. ecclesiastic. 29, pag. 142. edit. Rom. 1747.

dolorem nobis suum per litteras exponerent; quod in suis retinendis institutis, votisque solemnibus servandis impedirentur, unàque declararent certum sibi, fixum, deliberatumque esse animo, prius quæcumque espera subire ac pati, quàm à vocatione suâ recedere. Proinde non possumus apud vos, dilecti filii nostri, ac venerabiles fratres, non amplissimun illarum constanciæ, et fortitudinis testimonium exhibere, à vobisque vehementer petere, ut iisdem hortationis vestræ stimulos adjungatis, ac subsidia, quantun in vobis erit, omnia deferatis.

Possemus adhuc ad alia animadvertenda pergere super illo conventus decreto, siquidem à principio usque ad alius exitum nihil fere in eo est, quod non sit cavendum, ac reprehendendum; omnesque ejus sentus inter se adeò nexi consentientes que sunt, ut vix ulla pars sit ab erroris suspicione libera. Sed cum jam déclarassemus potiora, quæ in eo sunt arrorum monstra, atque interim, quod minime expectabanus, in publicis foliis perlegissemus Episcopum Augustodinensem suo se sacramento in ejus decreti verba obstrinxisse, tanto dolore pene exanimati fuimus, ut hæc quæ ad vos scribimus intermittere deberemus. Afflictio nostra mi-

rum in modum augebatur ut *per diem ac noctem non tacuerit pupilla oculi nostri*, cum videremus eum episcopum ab aliis disjungi, separarique à collegis suis, unumque ex omnibus hactenus esse, qui Deum in suorum errorum testem adduceret. Et quamvis ipse conatus sit tueri se, ac immunem præstare in uno tantun articulo atteingente diœcesium restrictiones, populorumque ad alias diœceses translationes, cum fucum facere ignaris vellet, atque illudere; illâ prorsus inepta comparatione usus est, totius nimirum populi, qui ob publicas ærumnas, aut aliâ urgente nécessitate per civilem cogitur potestatem de unâ ad aliam transire diœcesim. Differunt enim maxime inter se duo hæc exempla; quoniam ubi populus suâ diœcesi relicta, se transfert ad aliam, épiscopus ejus diœcesis, ad quam accedit propriam et ordinariam exercet intra fines suæ diœcesis in novos incolas jurisdictionem; jurisdictionem, inquimus, non à civili potestate quæsitam, sed quam juri suo referre debet acceptam. Juris quippe est, ut qui in diœcesi degunt, ii omnes ratione domicilii et incolatûs ad episcopum pertineant, in cujus diœcesi morantur. Quod si accidat ut episcocopus diœcesis, à que populus abscedit, sine

plebe remaneat, non idcirco fiet unquam, ut pastor sine grege desinat episcopus esse, aut ecclesia nomem cathedralis amittat sed tam episcopus, quam ecclesia sua resinet jura episcopatus et cathedralitatis, uti est de ecclesiis sive per Turcas, sive per alios infideles occupatis, qua episcopis titularibus sæpe conferuntur. Contra vero ubi diœcesium fines ita variantur, ut vel integræ, vel earum partes ab episcopo ad quem pertinent ad alium transferantur, tunc sane deficiente legitima ecclesiæ autoritate, nequit episcopus, cui vel integra diœcesis adimitur, vel pars ejusdem decerpitur, deserere gregem sibi concreditum, et nequit alter episcopus novâ diœcesi illigitime auctus, suas alienæ diœcesi manus immittere, et regimen alienarum ovium suscipere. Missio enim canonica, et jurisdictio quam quisque habet episcopus, certis septa est limitibus; nec unquam civilis auctoritas efficere poterit, ut illa aut latius pateat, aut intra arctiores limites coerceatur.

Nihil ergo magis insipienter excogitari potuit illâ comparatione, quæ de transitu populi ad alienam diœcesim deque novâ diœcesium, earumque finium immutatione obtruditur. In primo enim casu eam exercet episcopus juris-

dictionem, quam in suâ diœcesi proprio sibi vindicat jure; contra vero in altero casu eam ipse jurisdictionem extendit, quæ in alienâ diœcesi nullâ ratione spectare ad illum potest. Nihil itaque præstito ab Augustodenensi sacramento reperimus, quo se possit ex catholico sensu in ullâ impietatis parte defendere. Inter conditiones quæ ad licitum jurandum requiruntur, præcipuæ sunt, ut verum illud sit et justum. Ubi nunc veritas, ubi justitia esse potest, quando ex jam superius adductis principiis, nihil illic, nisi falsum, atque injustum deprehenditur? Nec jam poterit Augustodunensis ullo se modo excusare, si dicat præcipitanter illic atque inconsiderate se gessise. Non consultò, cogitatòque ad sacrementum processit, cum ipsum falsis munire satageret rationibus, cumque jam intellexisset, quæ cæterorum episcoporum essent sententiæ doctè pièque impugnantium conventus decretum, cumque jam non posset non præ oculis habere aliud planè oppositum in suâ adhuc recenti consecratione emissum sacramentum? Itaque omnino dicendum est illum lapsum esse in voluntarium et sacrilegum perjurium quod nempe ecclesiæ dogmatibus, ejusque certissimis juribus adversatur.

Atque hic opportunè commemoranda exis-

timamus ea quæ in Angliâ Regis Henrici II, tempore acciderunt. Is planè simile decretum, paucioribus tantem verbis exscriptum fecerat, per quod ecclesiæ anglicanæ libertatem abolens, primatûs sibi jura ibidem arrogabat. Ipsum episcopis proponens imperavit, ut in ejus decreti verba jurarent, in *avitas* scilicet, ut appellabat, *regnu consuetudines*. Illi cum parerent, in jurendo tamen hanc adjiciebant clausulam, *salvo ordine suo*, sed hæc clausula regi non placebat, cum diceret. *Verbo illi venenum inesse et captiosum esse* illud *salvo ordine suo*. Jubebatque ut *absolutè et absque adjectione regias consuetudines observaturos promitterent*. Etsi eo responso perculsi, metuque consternati essent episcopi, tamen ad resistendum excitabantur ab archiepiscopo Cantauriensi, posteà martyre S. Thomâ. Atque eos confortabat pontifex, et ab constantiam in munere pastorali cohortabatur. « Sed in dies gravissimis crebescentibus » vexationibus et malis, episcopi aliqui exo- » rabant archiepiscopum, ut sui miserea- » tur, et cleri, et quod pertinaciam re- » laxaret, ne ipse carcerem, et clerus exter- » minium pateretur. Vir invictæ constantiæ, et » in Petra Christi fundatus, et usque tunc nec

» blanditiis emollitus, nec terroribus con-
» cussus, tandem potius super clerum, quam
» super se miseratione motus, à gremio ve-
» ritatis, ac à sinu matris avellitur ». Post
eum alii jurarunt episcopi ; sed archiepisco-
pus cum agnovisset errorem suum, maximo
oppressus dolore ingemuit, et suspirans ait.
« Pœnitet, et graviter perhorrescens exces-
» sum, me ipsum indignum judico de cæterò
» ad eum accedere in sacerdotio, de cujus
» ecclesiâ contraxi tam vile commercium : si-
» lebo itaque sedens in mœrore, donec visi-
» taverit me oriens ex alto, et per ipsum
» Deum, et Dominum Papam merear absolvi :
» videre enim jam mihi video, quod meis
» peccatis exigentibus, debeat ancillari An-
» glicana ecclesia, quam mei prædecessores
» inter tot et tanta quæ mundus novit pericula
» rexerunt tam prudenter, pro quâ inter
» hostes ejus militaverunt tam fortiter, et
» triumphaverunt tam potenter ; scilicet quæ
» ante me extitit Domina, per me miserum
» videtur ancillanda, qui untinam consump-
» tus essem ne oculos me videret ».

Fetinanter misit Thomas litteras ad pontificem, eique vulnu detexit, medicinam quærens absolutionem postulavit ; et pontifex agnoscens Thomam non ex propriâ voluntate,

sed ex improvidâ pietate juramentum emsisse, justâ commotus miseratione apostolicâ absolvit auctoriate. Litteras pontificias tanquam cœlitus sibi missas Thomas suscepit, nec destitit regem suaviter fortiter que monere, ea ingerens, quæ ad exclesiæ læsionem currentem principem meritò retardare debuissent. Interim rex certior factus quod Thomas ab initâ promissione desciverat, misit litteras ad pontificem quibus duo sibi concedi postulavit. Primum ut consuetudines regiæ, Romæ probarentur; alterum ut apostolicæ legationis prorogativa à Cantuariensi ecclesiâ ad Eboracensem transferretur. Primam petitionem pontifex rejecit, ut rex litteris Thomæ directis : alteram admisit salvâ honostate ecclesiastici ordinis, et per alias apostolicas litteras scriptas episcopo Eboracensi mandavit ut se abstineret ab actis jurisdictionis in provincia Cantuariensi, neve in illam crucem deferret. Postmodum Thomas aufugit in Gallias, et deinde Roman, et à pontifice huminater exceptus, produxit scriptum in quo legebantur regiæ consuetudines, quæ sexdecim capitulis continebantur, eæque recognitæ, rejectæ fuerunt. Tandem Thomas in Angliam reversur intrepidus ad supplicium processit, et memor divini præcepti « qui vult venire post me abneget se-

» met ipsum, et tollat crucem suam et sequa-
» tur me ». Ecclesiæ ostia patefecit lictoribus, seseque Deo, Beatæ Mariæ, et sanctis suæ ecclesiæ patronis ferventer commendans, acceptis in capite vulneribns pro lege Dei et ecclesiæ libertate gloriosi martirii palmam reportavit. Hæc excerpimus ab *Arfold.* Annal. Ecclesiæ Anglicanæ (*a*).

Quis ex his non statim agnoscat, ut simillima sint nationalis conventus et Henrici II gesta? A conventu emanarunt decreta ecclesiasticam auctoritatem sibi arrogantia, ab eodem omnes ad jurandum compelluntur, præcipuè episcopi, aliique ecclesiastici : ac in eum ipsum transfertur sacramentum, quod Romano pontifici præstant episcopi. Occupati sunt ecclesiastici fundi, ut fuerunt ab Henrico, quorum S. Thomas restitutionem flagitavit. Coactus est christianissimus rex ei decreto suam interponere sanctionem. Eidem deniquè conventui cum proposita fuerit declaratio, quâ episcopi distinctis civilibus ab ecclesiasticis juribus; illa se agnoscere, et adimplere velle professi sunt, respuentes cetera, quæ extra conventûs posita sunt potestatem, ad instar præstantium christiano-

(*a*) Tom. 4. Ann. 1054 ad 1171.

rum militum, qui inserviabant Juliano apoſtatæ, quos celebrat, Augustinus his verbis (a). « Julianus extitit infidelis imperator, extitit » apostata, iniquus idolatra, milites Christi » servierunt imperatori infideli : ubi venie« batur ad causam Christi, non agnoscebant » nisi illum, qui in cœlo erat; si quandò vo» lebat ut idola colerent, ut thurificarent, » præponebant illi Deum ; quandò autem » dicebat, producite aciem, ite contra illam » gentem, statim obtemperabant, distingue» bant Dominum æternum à Domino tem» porali. » Nihilominùs conventus nationalis etiam rejecit declarationem, sicut Henricus II. Admittere recusavit supra ennunciatam clausulam, *salvo ordine suo*. A primo ad ultimum caput inter se plane consentiunt improbi tam conventûs, quam Henrici regis conatus. At non solum conventus iste Henricum II, sed imitatus est octavum etiam, qui cum sibi ecclesiæ Anglicanæ primatum usurpasset, omnem eam potestatem, in Cromwelem Zuvinglianum transtulit, eumque vicarium suum generalem circa spiritualia declaravit, ipsi visitationem omnium regni cœnobiorum committens ; atque is à con-

(a) Enarr. in psalm. 124, num. 7. in fin. tom. 4 oper. pag. 1416, edit, Maurin.

juncto sibi, prorsûsque consentiente Cranmero amico suo, lustrationem eam peragi in suâ provinciâ fecit, omnem impedens curam, ut ecclesiasticus iste regis primatus stabiliretur, in eoque potestas omnis posita esse agnosceretur, quam ecclesia à cœlo regi Christo Domino, sibi tantum commissam receperat. Hæ ipsæ visitationes peragebantur per monasteriorum suppressiones, sacrilegamque bonorum ecclasiasticorum deprædationem, eodemque tempore, et in Romanum pontificem odio, et habendæ alienæ rei cupidati, atque avaritiæ satisfiebat. Ut tum Henricus VIII, simulavit nihil aliud in sacramenti formulâ episcopis propositi continueri, nisi civilem, et sæcularem obedientiam, ac fidelitatem, cum reverà abolitionem pontificiæ auctoritatis includeret, ita nunc prævalens gallicus conventus præfigens suo illi decreto titulum «sur la constitution civile du clergé». Reverà omnem capitis ecclesiæ potestatem abrogavit, prohibens episcopis, nè alias nobiscum partes peragerent, quam ut nos eorum, quæ jam sine nobis acta, expletaque essent, facerent certiores. Quis illa conventûs membra in animo tum abuisse non existimet, sibique proposuisse adoptanda in suâ constitutione Angliæ regum secundi et octavi Henrici decreta? Secùs

enim quâ ratione expressam horum formam assequi potuissent? Illud tamen discrimen intercedit, quod hæc recentia aliquanto sint pristinis illis deteriora.

Sed cùm jàm inter se contulerimus duorum Henricorum, et nationalis conventûs acta, progrediamur nunc ad pariter invicem comparandum episcopum Augustodinensem cum aliis collegis; et ne minutim omnia persequendo delassemur, satis érit præ oculis habere ipsum conventûs decretum, in cujus ille verba sine ullâ exceptione juravit; ita enim facile judicabimus de diversâ ejusdem, et ceterorum episcoporum credendi ratione. Hi quidem immaculatè ambulantes in lege Domini magnam prætulerunt animi constantiam in servando dogmate, doctrinâque suorum prædecessorum, inhærendo prime Petri cathedræ, in suis exercendis, tuendisque juribus, in adversando novitatibus, in nostrum expectando responsum, undè, quid agendum sibi esset, agnoscerent: una eorum omnium vox fuit, una confessio, sicut una fides est, unaque traditio, et disciplina. His exemplis, ac episcoporum rationibus, obstupescimus, cum videamus Augustodunensem commotum non fuisse. Simili comparatione ante nos usas erat episcopus Meldensis

Bossuetius

Boſſuetius apud vos celeberrimus, & non ſuſpectus auctor (*a*) inter duos, Thomam Cantaurienſem unum, & Thomam Cranmerum alterum, quam hic inferendam ducimus, ut qui hæc legent, quam hæc noſtræ ſimilis ſit animadvertant. « S. Thomas de Cantorbéri réſiſta aux rois iniques; Thomas Cranmer leur « proſtitua ſa conſcience, & flatta leurs paſ- « ſions. L'un banni privé de ſes biens, per- « ſécuté dans les ſiens & dans ſa propre per- « ſonne, & affligé en toutes manières, acheta « la liberté glorieuſe de dire la vérité, comme « il l'a croyoit, par un mépris courageux de « la vie & de toutes ſes commodités; l'autre, « pour plaire à ſon prince, a paſſé ſa vie dans « une honteuſe diſſimulatiou, & n'a ceſſé « d'agir en tout contre ſa croyance. L'un com- « battit juſqu'au ſang pour les moindres droits « de l'égliſe; & en ſoutenant ſes prérogatives, « tant celles que Jeſus-Chriſt lui avoit acquiſes « par ſon ſang, que celles que les rois pieux « lui avoient données, il défendit juſqu'aux « dehors de cette ſainte cité. L'autre en livra « aux rois de la terre le dépôt le plus intime,

(*a*) Hiſtoires des variations, des égliſes proteſtant lib. 7. num. 114. 3 oper. edit. Paris 1747.

» la parole, le culte, les ſacremens, les clefs,
« l'autorité, les cenſures, la foi même : tout
« enfin eſt mis ſous le joug; & toute la puiſ-
« ſance eccleſiaſtique étant réunis au trône ro-
« yal, l'égliſe n'a plus de force, qu'autant qu'il
« plaît au ſiècle. L'un, enfin, toujours intré-
« pide, & toujours pieux pendant ſa vie, le fut
« encore plus à la dernière heure. L'autre,
« toujours foible & tojounrs tremblant, l'a été
« plus que jamais dans les approches de la mort;
« & à l'âge de ſoixante-deux ans, il a ſacrifié
« à un miſérable reſte de vie, ſa foi & ſa conſ-
« cience. Auſſi n'a-t-il laiſſé qu'un nom odieux
« parmi les hommes; & pour l'excuser dans
« ſon parti même, on n'a que des détours ingé-
« nieux, que les faits démentent : mais la gloire
« de S. Thomas de Cantorbéri vivra autant que
« l'égliſe, & ſes vertus, que la France & l'An-
« gleterre ont révérées comme à l'envi, ne
« ſeront jamais oubliées. «

Aſt Multo mirabilius eſt quod auguſtodu-
nenſis non percelleretur declaratione capituli,
eccleſiæ catredalis ſuæ die primâ decembris
proxime præteriti (*a*) emiſſa; neque erebeſ-
ceret quod in ejuſdem vituperationem incur.

(*a*) Auteur de l'Imprimerie de Dejuſſien 1790.

riſet, atque ab eo inſtrui deberet clero, cui par erat ut ipſe exemplo, docrināque perluceret. Ea declaratione ſcilicet auguſtodunenſis clerus, veriſſimis eccleſiæ innixus principiis in hunc modum in decreti errores invehitur.

» Le chapitre d'Autun déclare, 1°. adhérer « formellement à l'expoſition des principes ſur « la conſtitution du clergé, donnée par MM. » les évêques députés à l'aſſemblée nationale « le 30 octobre dernier. Déclare, 2°. que ſans « manquer au devoir de ſa conſcience, il ne » peut participer directement ni indirectement » à l'exécution du plan de la nouvelle conſti- » tution du clergé, & notamment en ce qui » concerne la ſuppreſſion des égliſes cathédra- » les; & qu'en conſéquence il continuera ſes » fonctious ſacrées & canoniales, ainſi que » l'acquittement des nombreuſes fondations » dont ſon égliſe eſt chargée, juſqu'à ce qu'il » ſoit réduit à l'impoſſibilité abſolue de les « remplir. Déclare, 3°. qu'en qualité de con- « ſervateur né des biens & des droits de l'é- « vêché, & en vertu de la juriſdiction ſpiri- « tuelle qui eſt dévolue aux égliſes cathédrales « pendant la vacance du ſiège épiſcopal, il » ne peut conſentir à aucune nouvelle circonſ-

« ſcription qui ſeroit faite du diocèse d'Autun,
« par la ſeule autorité temporelle ».

Interim ignorare nolumus auguſtodunenſem, ac cum eo quiſquis alius ipſum interim imitatus fuerit pejerando, quod epiſcopi qui ariminenſi interfuerunt conſilio, ſubſcripſerunt quæambigæ, captioſæque illi formulæ ab arianis, quo iidem deciperentur inventæ, intantiſque etiam ab imperatore conſtantio nimis perterriti judicio liberii pontificis admoniti fuere, quod, ſi in errore perſeveraſſent, *eccleſiæ catholicæ ſpirituali vigore eſſent plectendi* (a). Studio quoque S. Hilarii Pictavienſis ab eccleſia Arelatenſi expulſus fuit Saturninus epiſcopus (a) ut pote obſtinate perſiſtens in ſenſu epiſcoporum arianorum. Demum ſenlentiâ liberii confirmata per S. Damaſum fuit epiſtola ſynodica in concilio nonaginta epiſcoporum data, ut Orientales etiam palam declarare poſſent te ſui erroris pœnitere, ſi catholici haberi atque eſſe

(a) Epiſt. lib. ad cathol. épiſt. in fragment ex oper. hiſtoric. S, Hilar. fragment. 12, pag. 1358, edit, Maurin.

(b) Sulpic. ſever. hiſtor. ſac. lib. 2, cap. 45, tom. 2. oper. pag. 245, edit. Veron.

voluiſſent. « Credimus autem languentes in iſto
» conamine, non tardè à noſtrâ ſeparandos
» eſſe communione, & ab eis epiſcopatûs no-
» men auferri, quatenus populi eorum liberati
» errore reſpirent (a).

Negari quidem nullo modo poteſt auguſtodunenſem, ſuoſque imitatores in eorum se conjeciſſe ſtatum, qui ut diximus, judicium ſubierant liberii, Hilarii, & Damaſi, atque ide ſi ſuum illud ſacramentum non revocaverint, ſiant quid jam expectandum ſibi ſit. Quæ hactenus recenſuimus, ac pertractavimus non ex mente noſtrâ, ſed ex purioribus ſacræ doctrinæ fontibus, ut videtis, eruimus. Nunc autem ad vos convertimur fratres noſtri cariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium noſtrum, & corona noſtra, quamvis nulliûs hortationis ſtimulis indigeatis, cum nos ipſi in vobis gloriemur pro veſtrâ fide in cunctis ærumnis, & pro egregiis evulgatis inſtructionibus, rationabilem comprobemus diſſenſum veſtrum à decreto iſtius conventûs; nihilominùs quia in eam temporum calamitoſam at conditionem devenimus, ut

[1] Epiſt. ad epiſ. illyricos epiſt. 3, num. 2, apud conſtan. pag. 482 & 486.

etiam his qui ſibi ſtare in Domino videntur, omnia diligenter præcavenda ſint; ideò pro commiſſo nobis, licet ſine ullo merito noſtro, curæ paſtoralis officio, dilectiones veſtras ſummâ quâ poſſumus contentione hortamur, ad ſervandam omni animorum fervore inter vos ipſos concordiam, ut conjunctis ſtudiis, operâ & conſiliis, uno ſpiritu ab inſidiis & conatibus novorum legiſlatorum, catholicam religionem tueri, Deo adjuvente, valeatis: ut enim ad locum adverſariis patefaciendum nihil aptius eſſe poſſet quam animorum veſtrorum inter ſe diſſidentium disjunctio, ſic ad intercludendos illis omnes aditus, omneſque evertendas molitiones nihil concordiâ, veſtrarum que voluntatum conſenſione opportunius eſt, atque efficacius. Hiſce ferme verbis S. Pius V, prædeceſſor noſter excitavit capitulum, & canonicos eccleſiæ Biſuntinæ (a) qui in ſimilia tempora inciderant. Forti igitur ac conſtanti animo eſtote, nec ullorum periculorum denunciatione, aut minis ab incepto deſiſtite, ac recordamini, ut David impavide reſpondit giganti, Machabæi intrepidè Antiocho; ſic Baſilius Valenti, Hilarius Conſtanti, Ivo Carnotenſis Philippo Regi.

(a) Epiſt. 6, lib. 3. Edit Autnerp. 1640.

Jam quod noſtrarum eſt partium publicas præces renovavimus ; hortati regem ſumus ne ſuam vellet interponere ſanctionem, duos archiepiſcopos qui eidem aderant regi quid ab eis agendum eſſet monuimus, utque exarmare, quantum in nobis erat remiſſiorem que red dere tertii iſtiûs quem appellant ſtatûs furorem poſſemus, exactiones illas ſuſpendi interim juſſimus taxationum pro galicis expeditionibus ex priſtinis conventionibus, perpetuâ que conſuetudine noſtris officiis debitarum : ex quâ liberalitate noſtrâ illud per ingratiſſimum compenſationem retulimus, ut excitatam atque auctam à non nullis ex conventu, avenionenſium ab apoſtolicâ ſede rebellionem doleremus, à quâ nos, ſancta que hæc ſedes reclamare non ceſſabit. Præterea nos hactenus continuimus ne abſciſſos ab eccleſiâ catholicâ auctores male ominatæ conſtitutionis civilis cleri declararemus. Demum ea effecimus ac pertulimus omnia, ſi quomodo lenitate, ac patientiâ noſtrâ evitare poſſemus deplorabile ſchiſma, ac pacem apud vos, veſtramque nationem revocare. Quin & adhuc ſuſceptis paternæ caritatis conſiliis inhærentes, quæ vôs ipſi vobis eſſe propoſita, in veſtræ expoſitionis exitu cognovimus, à vobis petimus, voſque obſecramus

ut exponere, ac declarare velitis quidnam eſſe judicetis, quod nunc præſtandum à nobis ſit ad aſſequendam animorum conciliationem. Quod nos certe intentà locorum diſtantià agnoſcere non poſſumus; vobis vero qui in re præſenti eſtis, occurrere fortaſſe poterit aliquid à catholico dogmate, diſciplinâque univerſali minime diſſentaneum, quod nobis proponatis in noſtram deliberationem, atque examen adducendum. Quod reliquum eſt deum precamur ut tam vigiles, & ſapientes paſtores nobis, & eccleſiæ ſuæ ſervet quam diutiſſimè ſoſpites & incolumes, votumque hoc noſtrum apoſtolicâ benedictione proſequimur, quam univerſis vobis, dilecti filii noſtri, & venerabiles fratres, ex intimo corde profectam peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 10 martii 1791, pontificatûs noſtri anno decimo ſeptimo.

PIUS, qui ſuprà.

L'abbé Royou

005801692